

QH
43
A4
1871
SLRA


508.

S33b

93/8 No. 680: 2 - no









Hr. Professor Lange

verkabeligt fra
J. C. S.

Purcell
Henderson
Mun

508.
S336

J. C. SCHIØDTE

QH
43
A4
1871
SLRA

AF LINNÉS BREVVEXLING:

AKTSTYKKER TIL NATURSTUDIETS HISTORIE

I DANMARK

Historia semper optima vitæ studiorumque magistra fuit habita, tum quia variarum Doctrinarum originem et progressus docet, tum vero etiam, quia recordatio summorum virorum, eorumque, quæ nobis reliquerunt, operum, unumquemque, studiorum amore flagrantem, ad optima quæque præstanda, salutari stimulo excitat.

H. C. van HALL, Epist. ined. Caroli Linnæi, Groning. 1830.

Af "Naturhistorisk Tidsskrift" 3. R. 7. B.



KJØBENHAVN

THIELES BOGTRYKKERI

1871



AF LINNÉS BREVVEXLING:

AKTSTYKKER TIL NATURSTUDIETS HISTORIE I DANMARK

VED

J. C. SCHIØDTE

Linnés efterladte Samlinger, Bøger og Haandskrifter eies som bekjendt af det Linneiske Selskab i London. Da jeg i Sommeren 1869 opholdt mig nogle Uger i England, ønskede jeg at gennemsee Brevsamlingen, hvori jeg haabede at finde Oplysninger om Datidens naturhistoriske Bestræbelser i Hjemmet. Selskabets Bibliothekar, Mr. Kippist, viste mig derved al mulig Forekommenhed. Brevene ere ufuldstændigt ordnede og ligge for største Delen i de samme Indpakninger, hvori de ere afleverede fra Linnés Bo, men ere iøvrigt fuldkommen vel bevarede. Samlingen indeholder Breve, tildeels hele Rækker af Breve, fra de allerfleste af Datidens Naturforskere i hele Verden, og er følgelig af et ganske overordentligt Omfang. Allerede i de første Pakker, jeg aabnede, stødte jeg paa berømte danske Navne. Jeg saae snart, at kun Lidet vilde være at vinde ved at excerpere disse Breve, men at derimod et Udvalg af fuldstændige Afskrifter, i Betragtning af vor Literaturs Fattigdom i denne Retning, vel kunde afgive en ikke værdiløs Kilde for Videnskabens Historie i Danmark. Jeg indgav derfor skriftligt Andragende til Selskabets Bestyrelse om Tilladelse til at tage de fornødne Afskrifter og til at lade dem trykke her i Tidsskriftet, hvilket man ogsaa med særdeles Velvillie gik ind paa, kun paa den Betingelse, i sin Tid at modtage en kort Beretning om de

nordiske Breve, afpasset efter engelske Forhold og beregnet paa at trykkes i Selskabets Tidsskrift.

Jeg har kun optaget saadanne Breve, som syntes mig at sprede Lys over Personernes Tænkemaade, Stræben og Skjæbne, og har udeladt alle naturhistoriske Enkeltheder, naar saadanne ikke udgjorde en væsentlig Deel af Texten. Af nogle Breve, især af Fremmede, har jeg kun meddeelt enkelte Yttringer, navnlig saadanne, som angaae Personer og Forhold, der omhandles af andre Brevskrivere.

I Samlingen har jeg ogsaa optaget de ikke mange Breve, der ere rettede til den yngre Linné; de ere mærkede med en Asterisk.

Balth. Joh. de Buchwald

f. 1697. d. 1763.

- (1) Viro Illustri
Carolo Linnæo
Archiatro Reg: Svec: Professori Med: Upsal:
Sal: pl: d:
Balthas: Joh: de Buchwald
Colleg: & Fac: Med: Havn: Decanus

Nihil in votis mihi unquam fuit magis quam Doctiorum amicitia, qualem scriptis tuis d. 13 Sept: pergratis et acceptis immerito candide adeo obtulisti renumerationis loco pro Musa (: Pisan ex horto nostro Regio Tibi efflagitanti procuranda. Ambabus igitur hanc amplector manibus & gratulor mihi de candore et amicitia tam inclyti Viri, quem inter Asclepiadum præsentis ævi Decora habeo, et cujus acumen ac ingenii fecunditatem tot egregiis hactenus scriptis erudito comprobata orbi insciens admiror ceu de scientia naturali optime meritum. Accipe ergo cum hisce leviusculis meis Musam tuam ex horto nostro Regio Tibi ex voto transmissam tanquam meæ erga Te observantiæ et probitatis tesseram, et quanto ocyus indicamen satis vegetum & vivum deprehenderis, siquidem

facile mihi erit aliam transmittere Tibi desideranti tempore verno. Certiorem me facias rogo an flores bellidis in Svecia non gignantur, cum in hisce oris copiosissime crescant. 2^{do} an Muscus Islandicus Borrichio catharticus dictus in Svecia ubertim inveniatur, et an experientiæ respondeat assertum Borrichii, quod scil: vere carptus purget, sed æstate vim purgandi amittat, atque si non nimis molestum Tibi foret exoptarem mihi majorem hujus musci quantitatem, ut effectum ejus in praxi ulterius perscrutari possem. 3^{tio} impertiri velis mihi candide rogo judicium tuum minus fucatum de specimine Medico-practico-botanico beati Parentis mei Consiliarii status & Archiatri Regii nec non Professoris Med: edito âo 1720 & mox deinceps a me translato in germanicam linguam, an nimirum consultum ducas & operæ pretium hoc minus perfectum opus pluribus indigenis augere plantis, licet hortus noster botanicus plures capere non queat, et an methodus abcedaria ob scopum practicum sit continuanda, siquidem hanc praxi medicæ magis accommodatam judicem, cum index morborum alphabeticus dictæ methodo feliciter superstrui possit. Silentio denique præterire nequeo insignem animi mei voluptatem, quam aliquot ante menses percepi e lectione sententiæ Tuæ de aquis æstivo tempore stagnantibus rubicundo quasi tinctis non raro colore, quem ex animalculis ejusdem coloris oriri accuratissime demonstrasti, siquidem phænomenon simile mihi heic observare licuit ante binos, & quod excurrit, annos, imo quod magis hanc aquam purpuream in vase vitreo probe obturato asservatam denatis et corruptis animalculis viridescentem vidi experimento instituto â Dno Gerner Præfectos inter navales nostros Illustri in studio Mechanices excellentissimo & scientiæ naturali studiosissimo, quem tamen hactenus fefellit spes de inveniendo hic Polypo, quod curiosum omnino respectu generationis animalculum an Vestris in oris inveniatur averem scire. Pluribus Tibi molestus esse nolo, vetat quoque temporis angustia ob negotia tam publica quam privata tum & curas domesticas, quas nimia mihi peperit indulgentia. Nil itaque addam nisi votum: Servet Te Deus nestoreos in annos

sospitem atque incolumem nec non me dignum amore Tuo habeas. Dabam Havniæ d: 10 8br: 1748.

a Monsieur Monsieur Linnæus Archiatre de sa Majesté Svedoise Professeur en Medicine tres Excellent à Upsal

hermed een Cassa forseglet og mk D. L. som alt opplegges hos Herr secretair Jon: Malmborg til vidre befordring.

(2) Viro Illustri et longe Celeberrimo

D: D: Carolo Linnæo

Archiatro Regio et medicinæ Professori

Sal: plur: dicit

Balthas: Joh: de Buchwald

Responsum ad gratissimas tuas mihi scriptas d: 1 Nov: retardavit adversa corporis valetudo, nunc per Dei gratiam superata. Hisce igitur celare nequeo insignem animi dolorem quem percepi a Musa Tua gelu fere adusta propter hortulani incuriam, cujus tamen contrarium mihi sanctissime promiserat Vir alias visus mihi semper honestus, nihilominus si hæc, quam tenes, revirescere noluerit, nullus dubites rogo, quin aliam instante æstivo tempore missurus sim. Liber de quo mentionem fecisti editus est a me hic Havniæ åo 1721 in 8tavo, Titulus ipsi est seqvens Joh. de Buchwald specimen Medico practico-botanicum inß Teutſche überſetzt von Balth: Joh: de Buchwald Med: Doct: Sed fatalis qui heic ante 20 annos regnavit Vulcanus plurima consumsit exemplaria. Mathematicus noster Junior Christianus Horrebow desiderat Vargentins Tabulas satellitum Jovis, quas prima occasione data mihi pretium statim soluturo mittas obnixè rogo, apprecor etiam continuationem mihi maxime accepti literarum commercii, quod grata omnino mente agnosco, cum a Te erudiri me sentiam, quare vehementer gaudeo quod scribis Te futura ætate ansam concessurum fore mihi Te conveniendi in hac nostra Metropoli Regia.

Pro Strena mitto Tibi ceu Exoptatissimo Fautori Votum:

Vivas et Vigeas diu incolumis et floreat perpetuo Magnum
Linnæi Nomen eximium Patriæ suæ Decus.

Dabam Havniæ d. 4 Januar: 1749.

A Monsieur Monsieur Carol: Linnæus Archiatre de Sa
Majeste le Roy de Svede, et Professeur en Medicine à Upsal
Franco Elseneur

(3) Viro Illustri Celeberrimo
Carolo Linnæo
Archiatro Regio & Professori Med:
sal: pl: d:
Balthas: Joh: de Buchwald

Studiosus Medicinæ 3 circiter annorum in apollinea tamen
arte non plane hospes tua methodo in Botanicis erudiri avet,
& cum de tua benevolentia minime dubitem, commendatitias
hasce ad Te ipsi dare detrectare nolui, rogans ut hortum
vestrum botanicum pariter ac naturalia aliaque curiosa invisere
& perlustrare ipsi concedatur. Videbis illum Vir æstumatis-
simè timidum quidem & Platonicorum more obmutescentem sed
maxime attentum & assiduum atque hinc docilem omnino.
Fato quasi extinctæ hic sunt omnes Musæ tibi destinatae
prout ulterius narrabit præsens harum lator, adeo ut ex voto
promisso stare nequeam, licet non omittam omnes intendere
nervos ut voto tuo satisfaciam si Deus vitam & vires con-
cesserit. Orationem Jubilæam hic a me ceu Rectore magnif:
habitam tibi transmitto perlegendam si tempus vacabit. Præ-
sentiam tuam præterita æstate frustra, quod maxime doleo,
expectavi, hanc, si fieri potest, præsentè anno mihi apprecor,
cæteroque vivas diu incolumis & amare pergas

Tibi penitus addictum
festinante calamo. die 1 May 1750.

A Monsieur Monsieur Linnæus Archiatre de sa Majeste
le Roy & Professeur en Medicine tres Celebre à Upsal

(4) Viro Illustri

D. D. Carolo Linnæo

Archiatro Regis Professore Med: Upsaliensi inclyto

Fautori et Amico suo exoptatissimo

sal: pl: dicit

Balthasar Johannes de Buchwald

Annus jam fere agitur ex quo ultimæ Tuæ ad me datæ d: 16 May mihi gratissimæ profecto per Discipulum Tuum pariter ac meum dilectissimum Tych: Holm ad manus meas pervenere, quas grata maxime colo ac recolo mente, ac dudum Patrono universitatis Regiqve Augustissimo perlegendas tradidi, unde maxima felicitatis spes affulsit Holmio nostro, qui ante menses circiter sex in Norwegiam missus, ut lui crudeliter et quasi endemicæ grassanti inter colonos in circumferentia metallifodinarum habitantes mederetur atqve simul Naturalia ibidem producta fideliter observaret usqve ad mensem septembr: et forte ultra, unde reducem ad exteras et remotiores regiones dimittere spero. interim præter omnium spem favor Magnatum quorundam vel sors constituit heic exoticum et hætenus plane ignotum hominem Doct: Oeder ex informatione celeberrimi Halleri Botanicum extraordinarium cum salario 400 imperialium, qvem Facultas Medica cum toto senatu Academico Hafniensi Titulo Professoris minus dignum judicavit propter specimen disputatorium de irritabilitate in hac alma minus ornate scite ac erudite elaboratum et defensum, qvem certissime ab Holmio nostro superatum iri confido. Hæc vero cuncta amplius Tibi Vir celeberrime enarrabit præsens harum Lator ornatissimus et doctissimus Medicinæ studiosus Petrus Ascanius Norwegus, qui Præceptorem atque Doctorem Te in scientiis ad salutarem artem plurimum facientibus vere Roscium avidè petit, et obtinere sperat, qvem favorem si ipsi præstiteris facies mihi et studioso rem gratissimam Tibi vero honorificam, animumque meum ad omnia officii genera jam olim paratissimum ulterius Tibi ad cineres devincies. Præter leviores quasdam dissertationes quas an-

gustia temporis colligere permisit Musam tuam secum adportabit, utinam fausto magis quam antea successu!

Dabam Hafniæ

d. 22 April: 1752

Viro Illustri & Celeberrimo D: D: Carolo Linnæo Archiatro Regio Svec: Professore Medicinæ P: O: in Academia Upsaliensi hæ amice pateant.

(5) Viro Magnifico, Illustri, Excellentissimo

Fautori et Amico æstumatisimo

S: pl: d:

Balthasar Joh: de Buchwald

Maximas quas possum gratias ago et plures habeo ac debeo pro humanitate tua et benevolentia eximia, qua dignatus es strenuum maxime Apollinæ Artis Cultorem Georgium Tychonem Holm privatos inter tuos excipere Discipulos, tanto hoc Tuo beneficio me Tibi usque adeo devinxisti, ut qua ratione obstrictum meum et gratissimum erga te animum demonstrem dubius et anceps omnino hæream, et hinc faventia exoptem fata. Hoc momento accipio epistolam ab inclyto Medico Sam: Benj: Cnoll commorante in Castello apud Indos Orientales Tranquebar dicto, communicante descriptionem Boracis, quam accuratius perlegere tempus nondum permisit, et cujus copiam tibi, si desideraveris, alia vice transmittam. Subsisto hic cum omnigenæ felicitatis voto; summum Numen servet Te diu superstitem in Tui Tuorumque commodum, Patriæ Decus, Scientiæ naturalis pariter ac salutaris artis incrementum.

[Uden Datum.]

Viro Excellentissimo Illustri D^{no} Carolo Linnæo Magnifico Universitatis Upsaliensis Rectori, Archiatro Regio et Professore Medic: Publ:

Georg Tycho Holm

f. 1726. d. 1759.

- (6) Illustrissimo D^{no} Archiatro Carolo Linnæo
 Botanicorum nostri ævi Principi longe celeberrimo
 Fautori ac Præceptori æternum colendo
 S. P. D. Georgius Tycho Holm.

Pro immensa Tua erga me peregrinum et Tibi plane ignotum benevolentia ac humanitate, pro innumeris, qveis me indignum cumulasti beneficiis, pro solidissima, fidelissima, laboriosissima ac plane gratuita per integrum annum informatione humillimas immortales et quam maximas Tibi ago habeoque gratias.

Ad Te prius scribere nolui, quam Te simul certiozem facerem de Musa, quam Tibi promisi.

Professor Buchwald et ego hunc in finem duos abhinc dies profecti fuimus Fridericsbergam ad hortum Regium, extra civitatem situm, in quo coluntur Musæ, ibique vidimus 3 plantas juniores hocce anno à Matre separatas ac seorsim plantatas, ita ut impossibile sit unam harum ad te mittere ante hyemem partim ob ingruens frigus partim ob teneritatem plantularum, quæ nondum sufficientes egerunt radices. Perversus autem sis, Te proximo vere unam harum Musæ plantularum certissime participem fore.

In eodem Horto regio varios Cactos, Euphorbiam, Stapeliæ Mesembryanthemum aliasque in Horto Tuo Upsaliensi enumeratas nec alias offendi plantas. Inprimis hic magna habetur copia Bromeliæ vulgò Ananas dictæ, cujus fructus maturi mensæ Regiæ apponuntur.

An speciem Abietis, Larix dictam, nec non Arborem Coffeam habetis; sin minus, Te jubente, simul cum Musa proximo vere easdem ad Te mittam. Quo tempore simul mittam Cranium Phocæ (Fn. Sv. 11), si desideras; item Buchwaldi Specimen Medico-practico-Botanicum et Dissertationes Historiam naturalem Islandiæ spectantes, si eadem à Prof: Buchwaldo præterlapsa hyeme missa adhuc non acceperis.

Mox post reditum in patriam, eundem Academiae Cancellario indicavit Prof: Buchwald, missis simul Tuis literis commendatitiis; à quo tale responsum tuli, quod Regi nostro Clementissimo Tuas ac Buchwaldi ostendisset literas, Rex quoque retulisset, se datà occasione mei fore memorem, si in posterum studia à me incepta cum eodem ac hactenus continuassem ardore; quantum verò ex tali promisso ad me redundat lucrum, cuique facillimè patet.

Professor Buchwald et ego cunctis allaboramus viribus, ut proximo anno ad Indiam orientalem vel quandam Africae oram mihi daretur accessus.

Nullas hic inveni plantas sponte crescentes, nec insecta praeter ista, quae vel in Flora Tua Svecica vel Fauna allata ac descripta sunt; Solà Lactuca folio et caule spinoso excepta; sed longius ab urbe iter impedivere pluviae continuae.

Vidi Zoophyton a Cl. Wormio in proprio Museo sub nomine Stellarum arborescentium descriptum, quod in Mari Norvegico captum ad nostram Societatem misit Episcopus Nidrosiensis. An à quodam alio Auctore descriptum, an figura apta illustratum sit, simulque qualis ei à Te assignata sit differentia specifica, libentissime scire vellem.

Episcopus Bergensis Norvegiae nomine Pontoppidan variis Historiae et antiquitatum scriptis antea clarus, in conscribenda plurimisque figuris aeneis illustranda Historia Naturali Norvegiae occupatus est, ad quod opus promovendum 500 Imperiales (vulgo Rixdaler) illi donavit Rex noster clementissimus; quomodo verò tale in se susceptum opus expediet, eventus docebit.

Seqventi anno fortè duo studiosi natione Islandi ad Islandiam mittantur historiae naturalis indagandae ac describendae ergo; sed cui usui? dum nullus horum solidis ac veris Historiae naturalis fundamentis imbutus est.

Uxori Tuae dilectissimae plurimam à me dic salutem, humillimasque simul ac immortales meo nomine refer grates pro cuncta erga me benevolentia summaque humanitate. Saluta meis verbis Filium tuum amicissimum, Filias charissimas,

meamque quoad nomen uxorem vulgo mihi Rone Somfrue Loëfling.

Lubentissime scirem, quomodo valet amicissimus meus quondam Contubernalis D^{ns} Loëfling.

De coetèro Tuum in posterum favorem mihi continuandum humillimus apprecor.

Vive quam diutissime felix in Scientiarum Augmentum, Patriæ ac Discipulorum Tuorum singulare emolumentum decus et gaudium. Ita vovet Tuus ad cineres usque devinctissimus ac humillimus servus, discipulorumque Tuorum omnium longe infimus Danus.

dab. Havniæ d. 8. Septembr. 1751.

(7) Excellentissimo Perillustri atque Experientissimo
 D. D. Carolo Linnæo
 S. R. M. Svec. Equiti aurato, Archiatro et Professore
 longe celeberrimo
 Præceptori et Fautori æternum colendo
 S. P. D.
 Georgius Tycho Holm

Quamquam pudor facile vetaret, meque à Consilio ad Te, Vir Excellentissime! tot tantisque gravissimis onustum occupationibus literas dandi merito deterreret, dum mihi scribenti nihil suggerit præsens tempus, quod tuam meretur perlectionem, solità tamen ista Tua et tot in me collatis immortalibus beneficiis sat comprobata benevolentia fretus, hisce Tibi lineolis molestiam exhibere præsentemque rerum mearum conditionem notam reddere sustinui, talis meæ libertatis culpam humillimè deprecans.

Jam isto servitutis Praxeos Medicæ onere, quo in Norvegia duos circiter annos pressus degi, excusso, pristina libertati pristinoque, quod mihi maxime in Deliciis est, Historiæ Naturalis studio redditus reviviscere coepi; cumulatissimis enim et quam maxime tædiosis implicito negotiis ab officio ne minimum mihi vacabat temporis memorato Studio

impendendum; Uti antehac in duabus à Norvegia ad Te missis literis indicavi.

Havniæ per paucos commoratus menses Stipendioque Academico jam jam donatus profectionem ad extraneas paro Academias.

Quorsum verò potius ac prius quam ad Te Fautor Generosissime! me conferam, non video; Uti enim limpidissima ex ipso semper fonte hauritur lympha, ita sane Historiæ naturalis, cui per tres perigrinationis meæ annos totum incumbere certum et fixum mihi est propositum, solidissima cognitio ex eruditissima Tua Instructione facillimè promitur; A Te enim hujus scientiæ nostri ævi Principe veroque Instauratore quotidie detecta aurea Inventa typisque divulgata frequentissima cedro digna Scripta quantum luminis eidem accenderunt, neminem hujus Cultorum fugit; Si Tua itaque venia Tuoque Consilio ac Svasu fiat, Mense Aprili Upsaliam adire constitui; majori enim cum emolumento deinde coeteras Europæ Academias Regionesque me lustraturum fore nullus dubito.

Si quid hic reperitur, quod Tibi apportandum cupis, de Tua Voluntate per literas ante abitum me certiozem facias velim, qui Tuum quam lubentissime exequar Imperium.

An Buchwaldi Specimen Medico-Practico-Botanicum cum duabus circa Islandiam dissertationibus accepisti?

An Musa adhuc viget?

An Jacobæi Museum Regium Havni: fol. c. Fig. it: Rumphii Musæum Amboinense inter illustrissimi Tui Musæi incollas numeras? Sin minus, eadem mecum afferam.

An in Musæo Academico reperitur Unicornu sic dictum Marinum, numque alias in quodam habetur pretio; Tria enim istiusmodi cornua 4 s. 5 ulnarum longitudine heic venalia exstant; De quibus ante abitum instructus, eadem, si jusseris, cum proxima navi Holmiam mittenda curarem.

De coetero Tuum in posterum Favorem quam humillime mihi apprecatum velim. Uxori Tuæ charissimæ natisque Tuis dilectissimis quam plurimam meis verbis salutem nunciare etiam atque etiam rogo.

Havniæ d. 23 Februar: 1754.

P. S. Literis, si quas ante abitum meum ad me dare Tibi placuerit, præter nomen meum inscribi potest: at leves til Ambts-Chirurgus Muxoll paa Vandkonsten.

(8) Viro Nobilissimo atqve Experientissimo

D: D: Carolo Linnæo Eqviti aurato

S: Reg: Maj: Svec: Archiatro, nec non Professori Med. et Botan. Upsal. Ord.

Præceptori æternum colendo

S. P. D.

Georgius Tycho Holm.

Facillime inducaris, Vir Nobilissime! ad credendum, me esse omnium ingratisimum, qvi tot tantisque à Te cumulatus beneficiis post meum ex Svecia abitum per tantum temporis intervallum, ne unicam ad Te misi lineolam; Cujus desidiosæ literarum intermissionis atqve tarditatis gratiam facias, humillime precor, cum gravidam ejusdem causam ac justam excusationem afferre neqveo, præter unicam nec eam sat ponderosam, me, videlicet, nihil in Patria hactenus offendisse, qvòd Tibi referendum judicavi dignum. Hoc qvanvis veritati consonum est, diutius tamen differre neqveo, qvin de præsentis meae fortuna variisque post reditum in Patriam fatis Te certiore reddam: Humillimas easdemqve immortales in antecessum grates pro immensa in me Benevolentia ac summa humanitate Tibi referens.

Mihi in Patriam reduci mox oblatum fuit iter in Arabiam desertam sumptibus Regiis instituendum; siquidem verò in eodem itinere vicibus et Mathematici et Astronomi et Delineatoris et Naturalistæ fungi deberem, me tali itineri totqve muneribus omnino imparem mox declaravi: nullus nostratum hactenus tale iter in se suscipere voluit, recusante quoqve D^{no} Wiedemanno, qvi jam Goettingæ commoratur. Postea ab initio præterlapsi anni stipendium accepi itinerarium Regium, in Hollandiam atqve Angliam proficiscendi ergo. Cum verò eodem simul tempore, Auctore et Svasore Supremæ Aulæ Regiæ Præfecto, Excell. D^{no} Comite de Moltke (altera, ut

vulgo dicitur, Regis Manus ac intimus Consiliarius, ut aliarum Scientiarum atque artium ita quoque Historiæ naturalis summus Mæcenas atque Promotor, qui ipse haud parvis sumptibus pulcherrimam studiose conquisivit rerum naturalium Gazam, rarissimis ac pretiosissimis superbentem conchiliis) novum instrueretur Amphitheatrum Oeconomico-naturale Regium, in quo asservanda ac oculis curiosorum exponenda omnigena naturalia nec non oeconomica, uti machinæ oeconomicæ, instrumenta agriculturæ forma minori (vulgo i Modell) confecta. Cui Amphitheatro mox præficeretur ut Lector et Demonstrator, qui desiderantibus tam naturalia quam oeconomica demonstrarem; qualibet vero Hyeme Historiam naturalem et Oeconomiam publice ac privatim docerem; iis conditionibus, ut duobus proximis annis domi prædicti Amphitheatri adornandi initium facerem (cui omnes meas collectiones naturales dicavi), et simul per ætates Patriam perlustrarem; deinde per duos tresve annos Hollandiam et Angliam peragrarem. Interea verò D^{nus} Ascanius superiori anno ex itineribus in patriam rediit, qui impensis Regiis iter per plures annos fecerat in exteris, eum in finem, ut Historiæ naturalis perfectiorem acquireret cognitionem, tantosque in his studiis fecisse profectus contendit et sat audax magnatibus imposuit, ut plures Professiones publicæ Historiæ naturalis et Medicinæ in Italia, Germania et Russia sibi oblatae fuerint, quarum unam susciperet, si talem hic domi in Patria ei non traderent. Hinc decretum est, ut ad prædictum Amphitheatrum constituerentur duo Professores alter in Oeconomia alter in Historia naturali: Quoniam autem Ascanius contendit, se in oeconomicis minime versatum esse nec Professionem Oeconomiam in se suscipere velle, sed ex Mandato Regio soli Historiæ n^{ti} incubuisse: Idcirco Professionem Oeconomiam licet involuntarius in me suscepi. Sic stantibus rebus Oeconomiam me totum addere et Historiæ naturalis studium maximam partem missum facere cogor; Licet privatim in quacunque Historiæ naturalis partem auditoribus Collegia dictitare mihi concessum est, liberque ad omnia in Amphitheatro observata naturalia mihi patet aditus, sive publice

sive privatim eadem demonstrare voluero: Publice vero per Hyemem (sc. post reditum ex itineribus) Oeconomiae privatam praecipue ruralem docebo, per aestatem materiam oeconomicam ex Regno vegetabili desumptam tractaturus, simulque excursions Botanicas habiturus. Prof. Ascanius publice Mineralogiam et Docimasticam per Hyemem docebit, aestate vero Zoologiam. Me absente excursionibus botanicis praerit, quas etiam incepit, me tamen praesente. Gramina et cryptogama non curat; nec secundum species determinat, sed plerumque vel solum nomen Genericum vel nomen vetustum aut usuale allegat, vel dicit se nescire nomen. Sequenti mense, volente Deo iter in Hollandiam adgrediar, an vero in Hollandia aut Anglia vel Gallia Hyemem proximam consumam, non pro certo determinare possum, nec quot annos an tres vel quatuor in exteris commorabor. In praesenti hic Havniæ fruor 400 Imperialibus Danicis (circiter 600 Rthlr.) una cum ligno necessario pro focus et domicilio sc: 6 cameris in arce Regia Charlottenborg dicta, quæ in ipsa Metropoli sita, antea fuit Sedes Principum Hæreditariorum, sed jam scientiis et artibus dicata est. Quamdiu iter in exteris facio, salarium annuum duplicatum mihi conceditur; adeo ut Deo sit laus! sorte mea sat contentus degam. Ad universitatem Havniensem non proprie pertinemus, sed idem Honos (vulgo Rang) nobis ut Professoribus Regiis a Rege attributus est.

Prof. Ascanius publice dicit, Te multos commisisse errores in Tuo systemate novo; Upsaliamque adire cuperet, eum solum in finem, ut Te convinceret de talibus erroribus, ego vero regessi, quod idem per literas vel scripta publica efficeret, ex quo labore non levem reportaret gloriam. In itinere, quod praeterlapsa aestate feci per Jütlandiam, nil notatu dignum observavi, nec mihi factu facile erat; quoniam nimis festinanter conficiebatur idem iter. Dimidia pars Jütlandiæ sc: occidentalis inculta ericetis et campis apricis sterilibus constat, ubi interdum per 4 miliaria nec arbor nec domus conspicitur; Plantæ in his ericetis crescentes erant fere solæ sequentes: Erica vulgaris, tetralix, Vaccinium uliginosum, Myrtillus, Vitis idæa, Oxycoccus. Arbutus Uva Ursi. Lolium perenne, Festuca ovina, Nardus strictus,

Juncus bulbosus, *Galium palustre*, *Empetrum nigrum*, *Lichen rangiferinus*. *Surculi Populi tremulæ*, ex vetustis radicibus hinc inde uberius provenientes. *Spartium scoparium*, *Genista tinctoria*, *pilosa*, *germanica*. *Aira coerulea*, *cujus folia lata ex erica longe prominentia a Bobus avide appetuntur.*

In arena mobili, præter gramina et herbas à Te in Itinere Scanico enumerata, observavi in uno loco ad Oceanum occidentalem Jütiam alluentem, copiosissime in arena mobili proveniente et totum littus cum arundine arenaria occupantem varietatem *Tritici repentis maritimam vulgari multo crassiorem et seminibus turgidioribus refertam*; culmi internodiis articulatis cum seminibus maturis decidentibus; altero in loco inveni *airam canescentem totum litus arenaceum obtegentem, radicibus frequentissimis ad longitudinem fere pedis in arenam mobilem demissis; una cum Rosa spinosissima.*

Hiscæ diebus perlegi D. Prof. Oederi Introductionem in Scientiam Botanicam in Mss: lingua Germanica conscriptam; Hic contendit Generum in Regno vegetabili constitutionem et sanctionem esse impossibilem imò noxiam, et nomina Botanica quoque esse inutilia; Dicit enim, dum nomen per se nihil facit ad cognitionem plantæ, sed planta cognoscitur ex attributis suis et loco in systemate assignato, hinc non tantum supervacaneum verum etiam ob nominum numerositatem et frequentiore mutationem omnino inopportuno est, memoriam tot nominibus onerare, sed æque bonum esset, numerum et paginam ex Systemate Botanico, ubi afferuntur attributa et Signa & unde planta quælibet cognoscitur, allegare. Dicit præterea, quod Genera tamdiu non possunt determinari, quamdiu nondum omnes detectæ sunt plantarum species, et ut certum quoddam stabilire genus queam, requiritur, ut persuasus sim, NB: nulla alia in toto Regno vegetabili planta jam detecta vel posthac detegenda sit, quæ ad unam alteramve sub uno genere constitutarum specierum majorem ostendat similitudinem, quam istæ species ad se invicem sc: congeneres. Quoniam nullum attulit Exemplum suæ methodi, ejus mentem ex asse percipere non facile est; Qvan-

tum vero intelligere potui ex Introductione ejus, vult construere methodum naturalem, cujus Classium Characteres ex toto plantarum habitû et omnium partium structura desumantur, deinde quamlibet talem classem naturalem subdividat pro lubitu, si possibile, in subdivisiones naturales, sin minus, ope notarum artificialium, continuando tales divisiones ad ipsas species, nullo habito respectu ad certum talium subdivisionum numerum, sive Ordines et Genera; subdivisionibus majoribus nomina imponat, reliquis et inferioribus nulla.

Præter talem propriam methodum naturalem varias quoque aliorum Botanicorum methodos artificiales sed quam maxime abbreviatas afferat, v. gr: Tuam Sexualem vel secundum mentem ejus à Staminibus solis, aliam à petalis, aliam à Calyce, aliam à fructu; Ex qualibet tali methodo artificiali tantum allegare vult Nomina Classium et Ordinum, simulque unam alteramve harum subdivisionum, minimè vero Nomina Generica sed horum loco numeros, qui respiciant locum Plantæ in methodo naturali. Nullas adhuc vidi Figuras Plantarum Norvegicarum, sunt quidem nonnullæ harum excusæ, sed nondum divulgatæ. Figuras solas sine nominibus et Descriptionibus primò fasciculatim seorsim edere vult, sc: 60 in quolibet tali Fasciculo; post 6. l. 8 annos methodicum Catalogum harum Plantarum (NB. tantum in Dania et Norvegia sponte nascentium) divulgare promittit; Hic catalogus contineat prædictas methodos sc: naturalem et plures artificiales, Synonyma, Loca natalia, Nomina Incolarum; non tamen debet esse majoris molis, quam ut instar Libri manualis facile crumena capiatur, hujus enim ope plantæ Danicæ recentes in Loco natali in campis, agris, sylvis etc: examinari et cognosci debent. Proxima hyeme ex Norvegia Hafniam redit D. Oederus. Postea D. Oederus, Prof. Ascanius, D. Jensenius medicus Nosocomii Regii et ego conjunctis viribus in edendo magno opere Botanico ad Floram Danicam pertinente collaboremus, sc: quicumque nostrum præsentis fuerint, quem in finem 2plici vice qualibet hebdomade conveniamus.

Jam demum in lucem prodiit Opus conchiologicum Regenfusii Textu atque Explicatione non à Kratzensteinio sed à D^{no} Cramero Concionatore aulico confecto. Dum enim

anno præterlapso divulgabatur idem liber explicatione Kratzensteinii illustratus, varia præcipue in Prolegomenis minus apte nimisque dure dicta quibusdam Magnatibus videbantur, v. gr: quando ostreas in patina mensæ imposita jacentes prolixè loquentes et concentum musicum instituentes proposuit, et quod primarium fuit, Translatio Gallica plurimis in locis erat maxime falsa et à genio lingvæ gallicæ discedens. Hinc totus primus Textus à Kratzensteinio elaboratus, invito auctore, jussu Regis suppressus est ac omnia exemplaria revocata; Prædictus vero Cramerus, Concionator aulicus, Polyhistor atque bonarum artium (vulgo belles lettres) sat gnarus, summus Orator Germanus, novum jam adornavit Textum. In Prolegomenis enumerantur præcipua Musea naturalia Havniensia, simulque additur, quod haud immerito Lectori mirum videatur, Te in præfatione Musei Regis Adolphi Frederici nullam fecisse mentionem Museorum Daniæ, ad minimum Musei Regii, cujus descriptionem dedit Jacobæus, reliqua verò enumerat D'Argenville.

Primarius tamen labor tam in editione Kratzensteiniana quam Crameriana debetur D^{no} Spenglero, Tornatori Aulico, natione Helveto. Hic Spengler Vir quidem illiteratus, sed ob magnam animi probitatem, insignem in artibus mechanicis dexteritatem atque habilitatem, et summam in Historiam naturalem propensionem non sat laudandus, selectissimam conchiliorum collectionem conquisivit, quam quotidie novis ex Guinea, India orientali et occidentali, Norvegia et Islandia apportatis auget. Hic Auctores Conchiologicos perlegit, Synonyma atque Figuras auctorum ad Tabulas Regenfusianas addidit, imò descriptiones fere omnes confecit. Conchilia rudiora eleganter purificare et ab exterioribus integumentis immundioribus denudare probe callet, tam opè aqvæ fortis quam tornando, ultimo tamen artificio conchiliorum multa justo pulchriora ac præternaturalia evadunt.

De cætero me Tuo Favori de meliori nota commendatum velim, meoque nomine Nobilissimæ Tuæ Uxori charissimisque filiabus plurimam dicas salutem, humillime precor.

Havniæ d. 1 Julij 1759.

(9) *Georg Christian Oeder*

f. 1728. d. 1791.

Vir illustris,

Praemitto reliquis omnibus, discipulum & amicum me esse Halleri, Goettingensem Doctorem, nam, etiam si notior in republica literaria essem, quam per annos & vires licuit, vix tamen ad ineundam apud Te gratiam argumentum aptius fuerit.

Tuus etiam discipulus sum, Vir Illustris, siquidem eos ex quorum scriptis profecerimus, maximi qui sunt, ut Tu es, Doctores publici, quos etiam non propius, non facie notos, sed ob publica merita unicuique privato venerabiles colimus, praeceptores appellare par est.

Munitus Illustrium Virorum Halleri & Walhofii testimoniis Hafniam ante 4. menses veni, satisque fui felix, Germanus (Anspacensis Francus), ut gratiam inirem Virorum summae apud Regem nostrum fidei. Rex mihi significari jussit, placere sibi propositum meum, collocandi pro virili operam meam sub eius ditione atque velle se ea uti. Nondum in definita statione sum, nequè sum Universitatis membrum: interim annuente aula, Botanicae operam navabo.

Spes est conditum iri in hac urbe Hortum Botanicum. Huic interim proposito exsequendo praeparanda est via. Placuit initium a me rei gerendae fieri: datur mihi solum in aliquo regionum in hac urbe hortorum, & promittuntur quibus opus erit.

Juvabit me Ill. Hallerus omni qua poterit ope. Scribo ipsi hodie, dare me ad Te, Vir Illustris, literas. Itaque sine dubio in suis me Tibi commendabit. Plane non dubito fautorem etiam Te futurum conatibus nostris, quemadmodum in Hortum Upsaliensem aliorum merita in descriptione eius horti digne laudantur; atque ut ne poenitere Te possit coeptae erga me benevolentiae, spero me effecturum iis omnibus studiis, quae expectari a grato animo possunt.

Ergo etiam atque etiam rogatus opem mihi fer, Vir illustris. Data venia, indicabo singillatim quibus opus erit. Interim facile judicans, incipientibus nulla non re opus esse, & optime judicans, quid solo Hafniensi convenire possit, et collato Goettingensis horti Catalogo judicans, quid inde possim expectare, quid non possim, mitte mihi, quaeso, plantarum semina quae praesto erunt, quo primum poterit fieri modo.

Suntus qui ingrediuntur, mittam, quamprimum indicatum fuerit. Officia amoebae praestabuntur quavis data occasione, animo paratissimo.

Succedente tempore & commercio nostro literario, si sperare hunc honorem & hoc gaudium licet, dispiciemus quo modo non solum semina sed & integrae plantae, quae poterunt concedi, transportari Hafniam possint.

Serius ad hoc negotium, quod accepturus sim, admissus, video, cum jam multum annus processerit, grave initium, ut est omne initium, habiturum etiam ob hanc causam tanto lentiores successus. Sed spero etiam sic non defore conatibus meis successus aliquos, qui non effugiant certe aequorum iudicum oculos.

Spero mature his literis responsum, & responsum utique favens, si Tibi me probaro artis & in arte tui similibus viro- rum amatorem & cultorem.

Vir Illustris,

Tibi ad reverentiam dignis obsequiis
comprobandum paratissimus,

Hafniae, a. d. 8. Apr. 1752.

Georgius Christianus Oeder

addo epigraphen literarum ad me dandarum:
à Oeder, Docteur en Medecine, & Correspondent
de l'academie roiale des Sciences de Gottingen,

à

Copenhague

à Monsieur Monsieur Linnaeus, Archiater, & Professeur
en Medecine à Upsal

(10)

Hafniae d. 20 Juni 1761.

Illustri Linnaeo
 Equiti ordinis de Stella boreali,
 Archiatro R. M. S.
 Professore Upsaliensi,
 S. P. D.
 Georgius Christianus Oeder.

Dum Tibi, Vir Illustris, transmitto Programma de opere, Flora Danica dicto, quod una cum his literis ad te curabit Aulae nostrae Legatus, jussu insuper regis promitto Tibi Exemplar ipsius operis cum iconibus pictis, donum munificentissimi Regis, qui uti artibus scientiisque utilibus, ita scientiarum clarissimis magistris favet. Tanto certius spero, Vir Illustris, Te non solum operis hujus inter vestrates benevolum commendatorem, sed et Instituti nostri Botanici totius, horti potissimum fautorem fore atque adiutorem, quem a Te petendi favorem et amicitiam adeo Tuam, cum saepius esset consilium, nulla mihi aptior visa est occasio quam praesens. Rogo itaque Te ut persuasus sis, tanquam in arte magistrum, qui ingenti ingenio totum naturae regnum complectitur, labore omnia incredibili minute exsequentem, venerabundum me Te suspicere, et gratum fore studiosissimumque reddendorum officiorum, si Tibi placuerit nascenti nostro horto ex instructissimo Tuo impertiri partem seminum et radicum quae Tibi supersunt. Nascitur hortus hic noster sub optimis auspiciis et proxima adeo privataque tutela Regis nostri, nec parcitur sumtibus, et redditus ego certae sedi, post longam in Norvagiam absentiam, positusque nunc in libero studio, sublatis impedimentis, et omnium gerendorum norma certa praefixa, in instruendo demum horto, replendo, adornando, studium operamque ponere nunc possum ponamque. Sunt nationi nostrae mercatura per plerasque partes orbis terrarum extensa, nonnullae etiam extra Europam sedes s. coloniae, et supersunt nobis occasiones undique conquirendi plantas, quibus ut magis magisque utamur nec nobis ipsi desimus, elaborabo. Spes ergo

mihi est, etsi jam nunc in ipsis suis initiis non potest non esse pauper noster hortus, fore tamen post breve tempus, ut etiam nobis sit, quod exteris amicis horti communicando gratum facere et amoebea officia praestare possimus. Si peregrinatores nostri arabici, quos nuper audivimus Massiliam appulisse, ex istis quas adibunt oris, semina mittunt, quae in meas manus perveniunt, promitto Tibi, Vir Illustris, omnium aequam partem, et rogo te ne credas quod persuasurus te forte erit bonus Forskål, quem magni ceterum facio, sed qui nimis sane propria consilia amabat, et inde discedere bono ut aulici dicunt modo (de bonne grace) sane nesciebat, ne itaque credas, Vir Illustris, invidia nos erga amicam et vicinam vestram nationem teneri, quod si esset, sane de D^o Forskål omnino non fuisset quaestio.

Additum quem vides Pinacis Tui Botanici indicem, imprimis curavi, ut commercium plantarum caussa cum amicis instituendum tanto redderetur expeditius libello, qui literis inclusus cum cursoribus publicis per orbem circummitti potest. Subjecta nempe virgula sub numero aut litera, quae quamlibet speciem designant, notas facio species quae praesto mihi sunt, quo oculo istic liquet, quid mihi desit, quid a me peti possit, et facillimo labore ex eo exemplari quod in meos usus paratum penes me servo, quotiescunque lubet in alia transcribuntur a famulo lineolae. Tanto etiam majoris usus indiculus hic est, quod Catalogi loco tuo Pinace utor, et nomina generico-trivialia inscripta tabulis ferreis oleo dealbatis et ex bacillis pendentibus, ipsis plantis apposita in horto nostro conspiciuntur. Si, quod enixe item rogo, amicitia me Tua dignari, ejusque usum concedere volueris, idque intellexero, transmittam ad Te aliud Exemplar indiculi notatis speciebus, quae mihi praesto sunt, transigam etiam quae curam attinent seminum et radicum, quas benevolus concedes, et si Tibi lubuerit Hortulano Tuo eorum conquirendorum jussum dare, videbo ut operae ejus pretium sit. Vale.

Addo salutem plurimam et venerationis testimonium a D^o Ascanio.

(11) Illustri Linnaeo
 Equiti aurato, Archiatro, et Botanico summo
 S. P. D. Oederus.

Gratissimae Tuae literae jam 16. Aug. scriptae nudiustertius demum ad me allatae sunt, quod miror, et moneo, ut, si responsum cum literis ad D^a Forskål dare velis, provideatur ne tantam patiantur moram. Nempe si Tibi placuerit committere curae meae duas ad D. Forskål literas ejusdem argumenti, curabo alteram ad legatum nostrum apud Portam ottomannicam, alteram Londinum, ut cum navibus, quae quotannis ex Anglia Moccam Arabiae petere solent, mittatur. Sed haec quidem tentamina fieri possunt, at non audeo Tibi spondere pro certo in Forskålii manus perventuras has literas. Inde ex quo Constantinopolim Massilia profecti sunt nihil de Arabicis his nostris missionariis audivimus. Propositum ipsis erat per duos circiter menses Byzantii morari et circumspicere de optima continuandi itineris ratione.

Prodiit anno praeterito in Anglia Pelwyni alicujus scriptum de conservandis seminibus ex dissitis regionibus adportandis, ope cerae. Nonne Tuum consilium, Vir illustris, redit potissimum ad usum salium refrigerantium?

Mittam propediem ad Consulem vestrum D^a Kruger Helsingnorae degentem, atque eius curae commendabo quancocius ad Te transmittendum Exemplar integrum Fasciculi primi Iconum ad Floram meam pertinentium, atrum seu sine inductis pigmentis, una cum parte Exemplaris picti seu illuminati, ut vocant, quod dono Tibi destinari nuper nunciavi. Huius quidem Tui exemplaris reliquas tabulas sine mora curabo perfici et ad Te transmittam, quam primum poterit fieri, interim autem ex illo altero integro Exemplari tabularum purarum de opere judicare poteris, et in concinnanda nova specierum Tuarum editione hoc quidem primo fasciculo uti, quo facto rogo, ut exemplar hoc D^o Mangor nostrati, qui apud vos nunc moratur, tradere velis. Additur huic fasciculo praeter titulum nomenclatura et locorum natalium mentio.

Dⁿ Forskål quod attinet, quem repeto magni me facere et negotio, cui adhibetur, plene parem, explicabo ulterius quae priori epistola scripsi. Cum cogitaret de jungendo sibi socio, debebat in tempore, et antequam ignotum hominem (quod non habeatur dictum animo contemnendi Dⁿ Falk) ignotum inquam administris nostris secum adduceret, proponere primum hoc suum consilium administris aulae nostrae, quod si non neglexisset et scripsisset antequam de nostrate aliquo juvene jungendo prioribus sociis hic loci cogitabatur, persuasus equidem sum, impetraturum fuisse venias pro Falkio suo, quem strenuum praedicabat, et esse negatas equidem improbo. At sero adveniens D^{us} Forskål, postquam jam notefactum inter studiosam nostram juventutem et de idoneo homine disquisitum esset, eoque ipso, quod secum adductum Dⁿ Falk, nulla antea mentione ejus facta, praesentem sistebat, offendens administris nostros specie confidentiae nimiae, non poterat jure mirari, quod hoc quidem punctum non ferret. Attamen aegre cum ferret ne celabat quidem, culpam in Dⁿ Ascanium et Kratzensteinium transferendo, quasi ex eorum proposito post ejus demum adventum de nostrate aliquo agi coeptum fuisset, ne scilicet voti sui compos Forskålius fieret, horum in se excitavit inimicitiam, et querendo effecit apud aulicos nostros ut videretur injuste querulus. Quod de mea amicitia contentus fuerit, jucundum mihi est intelligere ex Tuis literis pariter ac ex ore Dⁱ Spengler, tantoque id magis, quod candoris mihi mei, cujus testimonium D^{us} Forskål mihi praebet, conscius sum. Amo sane primo omnium loco veritatem, hanc profiteor et tueri nitor, sed placide, neque me opinionum dissensus eo permovet, ut minus amem amicos, minus faciam magni magistris in arte, minime ut invidiam.

Itaque rogo Te, Vir Illustris, ut ne velis suspicioni isti simultatis locum dare, quae excitata a rumore, quem apud vos propagatum narras, videtur tamen apud Te non superesse nulla. Vel centies affirmavi D^o Forskål, me tecum communi-

caturum siccitas plantas et seminum partem, quae ad me mittet. Nuper etiam, cum Massilia scribens peteret venias mittendi collectanea sua prouti occasiones forent et nationis alicujus naves praesto erunt peregrinatoribus nostris, aut in Galliam ad Lanvagesium, aut in Angliam, aut in Hollandiam, sine mora impetravit. Scribere ad Te ipsi licet, quando volet et poterit, accipiesque sana et illaesa quae in manus meas pervenient.

Si Tibi, Vir Illustris, animus persistit benevolus erga me et mihi conditum novum hortum, grato animo a me accipientem semina, quorum spem facis, neque solum lubenter Tibi faciam copiam eorum, quae forte etiam nunc in incunabilis grata Tibi alit hortus noster, sed etiam, cum par pari reddendo primis his annis sine dubio erimus impares, paratus sum ad persolvendum pretium eorum quae imparties, idque ut liceat rogo.

Fervet adhuc apud nos aestas, et remotior adhuc videtur autumnus, quo ingruente, quando census plantarum copiae meae praesentis perfecero, ad Te transmittam libellum de quo nuper scripsi, cum adjectis figuris.

Exspecto ante hyemem, ex voto Di Miller, bonas copias seminum et bulborum horti Chelseani, tum etiam ex Gallia et ex Hollandia et Germaniae locis compluribus, tum etiam ab Ill. Hallero, qui mihi nuperrime scripsit novam se parare Enumerationis meae editionem, eique scopo varias ipsum alpes perquisivisse, in alias, nominatim rhaeticas, propriis sumtibus idoneos juvenes misisse, postremis his annis. Est nunc inspector Salinarum Bernensis reipublicae et in valle quadam alpina degit. Exspecto propediem Floram Ingricam Di Gorter, quam in Norvegia penes amicum meum aliquem pro me deposuit, cum ibi appelleret cum nave, in qua patrias suas petebat cum tota familia, relicta Petropoli et cuncta sparta. Vale et mihi fave omni studio dum merituro benevolentias Tuas.

Hafniae, d. 9 Sept. 1761.

(12) Illustri Viro
 Carolo Linnaeo
 Equiti aurato, Archiatro regio rel.
 S. P. D.
 Georgius Christianus Oeder.

Inspecto Tomo primo novae editionis Libri Tui Species Plantarum dicti, qui his primum diebus in manus meas pervenit, permoveor, ut quod in ultimis meis literis Te rogavi, denuo petam enixe, ne Icones Florae Danicae aliter quam sola commemoratione numeri tabulae cujuslibet, omissis nominibus, excitare velis.

Declaravi in Programmate edendi operis rationem et causas, cur sejunctas a descriptionibus s. sermone et textu, ut dicunt, edamus icones plantarum, et palam est inspicienti plagulas iconum fasciculo primo adjectas, scopum non fuisse alium nisi interim dum textus paratur exhibendi saltem Synonyma potissimorum auctorum, qui aut descriptione et characterum selectu, aut icone ad cognitionem uniuscujusque plantae adjuvarunt, ne incognitas plane reciperent emtores plantas. Synonyma inquam trado, quorum nullum palam pro meo nomine declaro sancitumve volo, qui quidem non est meus labor hoc certe loco, siquidem unquam erit. Synonyma haec ordine chronologico dispono, incipiendo ab inventore, finiendo in novissimo Tuo Pinace, omissis intermediis, qui momenti nihil ad plantae historiam attulerunt, excepto C. Bauhino, Synonymorum ad suum usque tempus collectore, neque possum mihi persuadere, quidquam rei interesse, sive temporis ordinem directum sive inversum sequaris, aut quidquam de meo adversus hos quos excito auctores animo in utramvis partem concludi posse, quasi potiore mihi loco ei sint quos primum nomino, aut minus Te tanquam principem in arte virum suspiciam, quia ultimo in loco Systema Tuum, quippe novissimum librum cito.

Haec cum ita sint optassem, et fateor expectassem, ut citares fasciculum hunc primum sola commemoratione numerorum Tabulis inscriptorum, et cum Tua ubique nomina, ipsis

trivialibus insertis, a me expressa sint, adjiceres post propriorum librorum mentionem Floram meam, ita ut factum video ad Cornum suecicam.

Placuit autem Tibi, Vir Illustris, generatim quasi a me adoptatum nomen citare primum quodque ex Synonymis ad quamlibet Tabulam spectantibus, quod quidem etsi a mea sententia longe alienum factum, ferri tamen potuisset, si modo auctorum libros, unde illa Synonyma petita sunt, simul nominasses. At nunc, quando lectores Tui libri vident e. g. Saxifraga Stellari (atque eadem est ratio in plerisque aliis locis ubi mei mentio fit) lineam ultimam: Sedum alpinum CV Oed. Dan. t. 23, quid quaeso cogitabunt hi lectores de me, quamdiu meum librum non viderunt, neque me norunt, quid deinde de Te, quod pace Tua dixerim, quando libri mei copia ipsis erit? Primo casu insulsum me hominem crederent, nisi forte indulgentia aliquis, cui probabile non erit tali homini opus regio nomini edendum demandari potuisse; aut aliquis assuetus lectioni librorum Clusii errorem typographicum subesse suspicabitur: altero casu mirabuntur mirificam citationem et meis verbis et sententiae meae illatam. Sane, Vir Illustris, si placide velis perpendere totam rem invenies ita comparatam esse, ut qui inimico in me animo me opusque meum tecte deprimere cuperet, hoc fere modo rationes suas instituere posset.

Enimvero persuasum habeo candorem animi Tui a profundissima Tua scientia non superari et longe a Te abesse tale consilium, ut potius mecum doleas locum tali suspicioni datum.

Vix me, Vir Illustris, hucdum in alterutram partem nosse potes, nisi quod Forskålus, uti ipse scripsisti, de me ad Te retulit, et quamquam non inclarui, nihil tamen memini in me esse quod me munusque, cui praefectus sum, in quo quidem omnia de novo ordinanda sunt et intra initia subsistendum est, dedebeat.

Ita ut Te amicitiamque Tuam, si mereri eam contigerit, maximi facio, ita nollim ullius unquam quantumvis celebris viri benevolentiam alio modo sectari quam qui utrumque deceat.

Persuasus itaque de candore et aequitate Tua, Vir Illustris, spero pronum Te fore ad impediendum, quo minus injuria, quae mihi ex citationibus Tuis, etsi Te invito, tamen metuenda est, persistat, et ad emendandum illatam.

Quamprimum commoda se occasio offeret transmittam ad Te integrum exemplar fasciculi primi pictum ab optimis nostris operariis, tumque peto, ut illam dimidiam partem, quae nunc in manibus Tuis est, reddere velis ornatissimo juveni Fabritio, qui has Tibi literas tradet. Fasciculus alter sub prelo sudat, interim autem donec integer prodit, mittam Tibi, si cupis, Tabulas separatas quotquot impressae sunt, nempe puras, id est sine coloribus.

Novissimae literae Forskålii Cairo datae erant Junio mense a. c. per Livornam procuratae, unde semina et msta, quorum mentionem facit, quotidie exspecto, siquidem mercatorum diligentia non deest. Continebatur in his literis specimen plantae, quam meo nomine insignare in animo habebat, sed haec quidem planta certo est Cleomes species et quidem violacea. Si cupis transmittam.

Vale et persuadere me inter eos esse qui non ultimae laudis reputant principibus placuisse in arte viris.

Hafniae, d. 8 Dec. 1762.

(13) Illustri Linnaeo
S. P. D.

Oederus.

Minime iratus, at veritatem et existimationem meam amans, quae chara bono viro ut nihil supra esse debent, et veritati et mihi debeo responsum ad nuperas Tuas literas d. 24 Dec. 1762 datas. Breve ut redderem pariterque clarum judicavi fore optimum, ut exscriptae parti epistolae Tuae subjungerem animadversiones meas.

Nec verbum amplius addam, nisi commemorationem honoris, quo Te, Vir Illustris, ob ingentia in Botanicam merita, etsi mihi ut palam est alienum, prosequor. Vale.

Hafniae d. 3 Jan. 1763.

En Excerptum epistolae Tuae.

»Cum iratus sis, ut video, forte non admittas rationes, quas si admitteres non in me offensus esses, sed potius in Te ipsum. Si liceat amice loqui, summa haec erit.

Tua intercessione etc.

Munificentissima sua manu potentissimus Rex Danorum Te 1) misit in suas regiones ad plantas patrias indagandas. Eximius pictor delineavit plantas omnium pulcherrime. Tu addidisti Synonyma secundum seriem aetatum cum nulla 2) Tibi placerent. Ego non capio, 3) forte nec ullus alius, quomodo possis emittere regium opus 4) absque descriptionibus in loco factis, et potissimum absque 5) nominibus plantis impositis, quod a nullo factum unquam vidi, nisi a Meriana in Surinamensibus; sed haec foemina erat.

Ego non potui 6) Te allegare Tuamque Floram citare absque nomine. Nomina nulla aderant, nisi synonymica; debui itaque citare primum nomen paragraphi ubique, 7) ut indicarem tabulam in qua picta erat planta, 8) non vero ut indicarem nomen, cum nullum Tibi proprium erat.

Quis unquam allegavit 8) ultimum Synonymon authoris? Si hoc fecissem, quid non de me, de philautia mea judicare potuisses ipse, quid non 9) omnes alii?

Sed urges 10) quod debuissim nominare authorem, a quo Tu desumsisti primum Tuum nomen. Ego multoties allegavi 11) Vaillantium, Barrelierum etc: ubi assumsere Tournefortii nomen (non tamen nominato Tournefortio), dum volui remittere lectorem ad pulchram observationem vel figuram; non enim citavi authores seniores ob sua erronea nomina, 12) sed ob suas illustrationes; si allegassem antiquum authorem, crederet lector me eum remittere ad observationem et reperisset se seductum.

C. Bauhinus etiam proposuit Synonyma secundum aetates, sed semper his praefixit proprium nomen; 13) hoc si fecisses et Tu, nec de me nec de aliis doleres. Te ipsum accusas erroris, non vero alios bonos. Si placeat meo uti consilio, 14) edas, dum proximum emittas fasciculum, cata-

logum Tuorum nominum, ut sciant lectores, quo utantur nomine Tuo, nam hoc 15) requiret a Te ipsa ars. Hoc decet Te editurum tam splendidum et vere regium opus; addas etiam si placet Tuas descriptiones, ne 16) malevoli in pejorem partem Tua interpretentur, et dicant egregie pictorem res suas egisse, Te vero nihil egisse.« — etc.

En animadversiones meas.

1) Liceat unice ad me tuendum, et absit invidia verbis, liceat quod ignoras credo, Tibi dicere, totum quantum est Hafniense institutum hoc botanicum coeptum esse et continuari secundum mea consilia. A me selectus est hic quem laudas pictor, me duce pingit. Quaeso noli nimis pronus esse ad contemnendum hunc hominem, quem alii graves viri debent melius nosse, quam Tu potes.

2) Neque placent neque displicent, nam *Synonyma* sumuntur ubi reperiuntur, neque citantur nominis caussa (quod ad cognitionem rei nihil confert et tantum cognitae jam rei ideam in mentem revocat), sed ad clarius declarandum locum libri citandi.

3) Quidni? nonne possit edi sylloge iconum sine descriptionibus, aequae ac descriptiones sine iconibus, quemadmodum tabulae geographicae sine geographia et geographia sine tabulis?

4) Enim vero promissae sunt descriptiones et edentur post non adeo multos annos, quos ut vivas nec solus opto, caussae autem ob quas ab iconibus descriptiones separantur, declaratae sunt in programmata meo, quod vide dum antequam vituperes.

5) Icones inquam, eduntur nunc primum, rerum ectypae seu formae, succedaneum herbarii, et Meriana, quamdiu hoc tantum agebat, ut rerum formas sisteret, recte, quantumvis foemina, agebat, nam si nomina adjecisset, quid poterant ad rerum cognitionem adferre magis sola et extra systematis nexum? Nos autem *Synonyma* adjicimus, ut emtores her-

barii hujus, quod ipsis interim praebeamus, possent id conferre cum botanicorum scriptis.

6) Non potuisti? Utinam ita ubique citasses Floram meam, uti factum est sub Veronica 13 et Corno 4, aut quomodo in Systemate Naturae citas Mülleri, Du Hamelii et Plumieri icones.

7) Ergo debebas citare numerum ipsi tabulae insculptum, et uniuscujusque paragrapho praefixum.

8) Quando citantur auctores, non citantur Synonyma ab iis collecta, sed eorum nomina propria, aut pro propriis declarata, ubicunque ipsis placuit talia nomina aut tradere aut declarare.

9) Minime vero. Si ad calcem Tuorum nominum indicasses plantam a Te definitam icone expressam esse, suo numero designata, in Flora Danica, quis unquam arguere Te philautiae potuisset?

10) Et id quidem meo jure, nam non potuisti non animadvertere, ita uti mentionem mei facis, omissis libris, unde petita sunt nomina, quae pro meis citas, ridicula reddi haec nomina, idque Tua sola culpa.

11) Vaillantius et Barrelierus etc. e schola Tournefortiana profecti professi sunt nomenclaturam Tournefortii sibi familiarem: ego autem nihil tale professus sum.

12) Neque ego hos remotiores auctores cito ob nominum concinnitatem, sed ob laudem, quae inventoribus et primis descriptionibus, potissimum omnium praeclarissimo Clusio debetur. Tanto minus haec mihi nomina imputare et obtrudere debeas, quorum nec nostro nec ullo tempore, sine auctorum commemoratione simul facta, sensus ullus est.

13) Bauhinii scopus ex professo erat conscribendi pinacem seu concordantiam nominum, meus scopus alius pro praesenti non fuit, quam vindicandi emtoribus libros potissimos quibuscum icones seu herbarium hocce conferre possent.

14) Si praeces meae quidquam apud Te impetrare possunt, rogo Te enixe ne icones nostras aliter quam mentione numerorum tabulis inscriptorum citare velis.

15) Quaeso quomodo hoc demonstras? Itane opus tandem est, ut quilibet novus auctor augeat cumulum nominum, quo jam nimis Botanica laborat? itane mihi per Te non licebit Te aliosque in arte magistros venerari nisi unum mihi assidue delegam et in ejus jurem verba? Anne nomini innititur plantae alicujus cognitio, nec potius characteribus, quibus quaelibet species ab omnibus reliquis civibus regni vegetabilis distinguenda venit? Si placuerit alicui characteres hos ab ipso aut aliis inventos, selectos, definitos, pro omnibus ipsi notis plantis, aut pro dato aliquo numero plantarum, verbi gratia spontanearum alicujus regionis, disponere justo ordine, quo lectores ejus, in contemplatione plantarum vivarum, manuducuntur ad illum quemlibet characterem i. e. summam et complexum notarum cuilibet plantae competentium, qui in plantam quamlibet propositam quadrat; si ipsi placuerit sub quolibet caractere, a vicinis separato, tamquam vero fundamento omnium quae de planta aliqua praedicari possunt, citare auctores qui de tali planta scripserunt sive solum indicando paginam locumque libri, sive ascribendo nomen quod quilibet plantae illi assignavit; ipse autem nullum adjecerit a se fictum nomen, neque inter congesta synonyma ullum praedamatum pro praecipuo et suo declaraverit, tum talem hominem ideo infantiae artis redargues, et hodiernae lucis literariae, barbarum quippe et librorum eorumque quae in orbe literario geruntur ignarum, commonefacies?

16) Hi quidem certe malevoli sunt et immemores promissi mei in programmate, aut si rationem operis cognitam habent, tanto magis iniqui et superbi, quod contemnunt quae nondum in lucem prodierunt. Alienum quidem a me est inter tales homines Te numerare, poteris autem commode ab ipsa commemoratione talis suspicionis abstinuisse, quae non magis me quam superiores meos laedit.

(14) Høiædle og Velbaarne
Højtærede Herr Archiater

For Deres Velbaarenhed haver jeg at forklare Sammenhængen med hosliggende Brev fra Herr Miller. Min Ven Herr Justits Raad Hübner, der i hans Nærværelse i London nu i nogle Aar har faciliteret min Correspondence med Herr Miller, skrev mig d. d. 21 Mart. sidstleden, at med en ung dansk Gartner som den Tiid var gaaet med Skib fra London til Helsingør, skulde jeg faae en Pakke med en stor Provision Frø fra Herr Miller til mig. Sidste Løverdage, 8 Dage efter Brevet indfand sig Personen med Pakken, den jeg aabnede i hans Nærværelse og søgte efter Brev, saasom intet var hæftet uden paa; skar altsaa envelopperne, en ydre og indre, over, da der under den ydre fandtes et Brev til mig, og under den indre frøcapslerne, 168 i Tal. Ved Gjennemlæsning af mit Brev fandt jeg disse ord: I have also sent a small parcel for Dr. Linnaeus, which I beg you will be so good as to forward as soon as you possibly can, og spurdtes da Personen, ved at lade ham selv læse ordene, hvor da denne anden Pakke var. Han svarede, at han ikke havde uden den for vore øyne, men at Herr Hübner, da han tog Afskeed med ham havde talt om noget, som han vilde sende ham til endnu i hans Quarteer, men at han strax derpaa maatte om Bord, saa at om noget var kommet i Gartnerens Quarteer, har det været for silde.

Nu kunde jeg altsaa ved at sammenholde Gartnerens Beretning med hvad Herr Hübner havde skrevet og hvad Herr Miller selv skriver om a small parcel, ikke tænke anderledes, end at den Pakke for Deres Velbaarenhed var glemt i London, og gav mig saa til at indføre Capslernes Opskrifter i min Catalogo pro anno praesenti og at nummerere dem.

Men Dagen efter, da envelopperne, som Capslerne vare tagne af, skulde tages af Veyen, befandtes paa den indre og følgelig skiulte Side af den indre envelope, nærværende Brev til Deres Velbaarenhed, hæftet til enveloppen.

I denne Tvivlraadighed og i Haab om at finde Oplysning i Brevet, proponerede jeg for min College, den jeg veed at Min Herre har Tillid til, om han vilde paatage sig at aabne Brevet, og da derudi ligeledes tales om a few seeds, ligesom i det til mig om a small parcel, saa er det endnu uafgjort, enten Herr Miller har forstaaet den mig til Hænde komne Pakke, indeholdende 168 Capsler, følgelig ikke saa liden, og ikke nogle faa Frø, eller han mener en anden Pakke, der maa være glemt.

For da at komme paa en billig Maade ud af Sagen, har jeg taget nogle Korn ud af Capslerne af de Sorter, som jeg mangler, og pakket dem sammen igjen, og skal i Dag indlevere Pakken til den svenske Chargé d'affaires med Begiæring, at han vil see den snart befordret. Jeg tænker, at om det end skulde befindes, at hele denne Pakke har fra første Tiid af været Deres Velbaarenhed tiltænkt, saa vil Min Herre dog ikke fortryde paa, at jeg har taget nogle Korn ud af Capslerne, ey heller paa min Omgang i Sagen. Kommer noget deraf op hos mig som maatte mislykkes hos Dem, er det gierne til Tjeneste.

Efter halvt Aars gamle Efterretninger fra Livorno og gandske nye fra Amsterdam, kand vi med det første vente Ankomsten af endeel Frø, fra vores Missionairer i Arabien. Kommer det Paquet til Deres Velbaarenhed i mine Hænder, skal det strax blive befordret. Af det forrige Frø fra Herr Forskål ere nogle smukke Urter opkomne hos os, og Lævningerne deraf skal i Aar opelskes og oppasses af mig selv, da jeg i Sommer bliver nærværende i Kbhvn, men der kommer vist nogle af Herr Forskåls nye Generibus at gaa ind, f. E. Oederia n. er Cleome; Thaumasta er Hypecoum, Gramen singulare er Crucianella. Jeg haver ordre at lade tegne det nye og særdeles rare, som kommer op af Herr Forskåls Frø. Saasart nogle Exemplarer af Flora Danica tredie Hæfte af beste slags ere færdige, skal Deres Velbaarenhed faa Deres,

Jeg er med megen Consideration

Deres Høyædle Velbaarenheds

ydmyge tiener

Kiøbenhavn, d 18 Apr. 1764.

Oeder

Peter Ascanius

f. 1723. d. 1803.

(15) Velbaarne her Archiater!

For en rum tiid siden tog ieg mig den frihed, fra Kiøbenhavn at opvarte D. Velb. med min Skrivelse, og tillige at oversende et exemplar af Prodr. Act. Haf. Om samme ere D. Velb. rigtig inhændigede, har ieg naaet mit øie meed. Siden den tiid har ieg opholdet mig deels i Tyskland, deels her. Af mærkværdige ting er mig midlertid et og andet forekommet, sær her i Landet, hvor man temmelig kand fyldestgøre sin Curiositèt, dog det minste af den betydenhed, at ieg der med har kundet understaae mig at besvære D. Velb., hvis tiid, som mig bekant, er saa kostbar. For nærværende vil ieg forsøge at give en kort underrætning om et og andet, formodende at noget der af ei maatte være D. Velb. ubehageligt. Mand har her ved Academiet i denne tiid nogen leilighed til Nat. Hist. øvning. Den afdøde Statholder har lagt grund til et publik Cabinet ved Academiet, som forvares udi en dertil opført Bygning ved siden af den Academiske have. Samlingen er ei mere end 3 aar gammel, og altsaa ihenseende til sin tiid temmelig anselig. Forraad af Conchylier og Malm-arter er ret vakkert. Iblant de første har ieg fundet en Amiral ved sin teigning udentvil helt rar, thi dens mitterste bælte er meget bredt og med 3 sammenhængende kiæder siret, ellers er den liden omtrænt $1\frac{1}{2}$ tom. lang. Mineralierne ere mest tyske og ungerske, nogle faae indianske. Den anseligste part er fugle samlingen, hvoriblant en hob americanske fra Curaço og Surinam, præparerede af en Liebhaber her i Byen, der og har opsigtt over Cabinettet. Hand tager den halve side, untagen foden bort, drager det meste af Kiødet inden fra ud, fylder rummet med aromata, overstryger det invændig med vernis, og saaledes stilles fugelen op i en 4kantig Casse hvis ene Side er af glas, luft tæt og med noget volatile forseet. Ieg har hos ham seet fugle som sig paa denne maade have holdet i 10 aar. Med de Store

er det noget incomod, dog har mand i Academiet en ung Struds paa denne maade. Maaden er noget kostbar, men giver en magnifique anseelse. Med Fiskene har mand begynt det same, men det er aldeles urimeligt, og har ingen anseelse. Prof. Allamand læser publice her over, hand er en Sveitzer's Gravesandes Discipel, og i physiqven vel øvet. Dette Aar tracteres af ham Ornithologien, hvor udi hand følger herr Klein, fra forrige 7br til nu ere ei mere end 12 collegier givne. Skade! at det er et publik College. Dersom ellers denne Samling saa bliver ved at voxer, vil den med tiiden være anselig.

Botaniquen vil formodentlig her nu tage nye kræfter da denne Profession skal skilles fra Medicinen paa det den des bædre kand oppasses. Prof. v. Roien som ved sin praxis anselig haver været hindret, afstaaer denne deel til sin Cousin den unge D. v. Roien, der i Frankrig og Engeland har anvent anselig tiid paa denne Sag. Her findes som ieg har erfaret nogle nye Capske Genera, og af ham har man vel og at vente Flor. Leidensem. Med Mylii Gesandtskab gik det kun slet. Hand har saa længe delibereret over hvor hand vilde gaae hen, saa pængene her i Europa bleve fortærte, og da hans giæld i Engeland, hvor hand alt i lang tiid med 2 malere opholdt sig, begynte at stige, og ingen væxler mere vilde komme fra Göttingen, gjorde hand fornøftigst i at lægge sig til at døe. Vi fik og derved lykkelig anvendt 300 Rdr. Mand har i Engeland raillet derover, holdende fore, at de Svenske emissarier bædre havde lært oeconomien end de Tyske. Det skal være mig overmaade kiært, om D. Kaehler vel er ankommet til sit stæd og lykkelig fortsætter sine sager, hand var gaaet fra Amsterdam 3 uger førend ieg kom did. Med et Skib fra Amsterdam har ieg screvet ham til forige 8br Maaned men intet svar haft til dato. Her Kleins nye Systema Conchyliorum, har ieg her forsøgt, at betiæne mig af, til at i orden bringe en Vens Cabinet, men tydelig fundet hvad multiplicatio generum fører med sig, nemlig multiplicatio confusionum. Ieg har og talt med Prof. Gaubius

der om, som maae tilstaae det samme. Den Methode, som ieg har været saa lykkelig, hos D. Velb. at høre, har der imod viist mig langt anden nytte. Prof. Gaubius er ellers temmelig nu avanceret med Sebæ Cabinet, fald det nu ei vil giøre nye hinder, at hand i disse dage er kaldet til Petersborg paa anselige vilkor, som chemiæ professor. Mand mener at hand ei tager der imod. Academiet taber overmaade om det skeer. Det berømte Cabinet af petrificater tilhørende afdøde Oversten Porst, er for nyelig solgt i Amsterdam. Skade at det skulde skilles ad! Petrificaterne bleve største deelen kiøbte for Prins Carl i Bryssel, og horribel betalte. Bemældte Prins samler der paa et artigt Cabinet. Der fantes et dentalium og en Ichthyolit, som vare extra ordinaire. De rareste ting bleve bæst kiøb solgte. Enken havde tilbudet Academiet det for 4000 gl. nu troer jeg hun fik 7000 gl. Paa samme Auction havde ieg den Ære at tale med den berømmelige her Cliffort, hand er endnu ganske rørig og munter, men om hans have bør det vel hede: quantum mutatus ab illo. En Herre i Haag Mons^r Vosmaer, der nu skal have det bedste Cabinet her i landet kiøbte og noget. Vi har den samme at takke for det fameuse Værk af amboiniske Fiske og Krabber af Mons^r Renard, som hos R. et I. Ottens i Amsterdam tilkommende Aar vil se lyset. Dog har ieg hørt at et exemplar, endnu bædre end Mons^r Vosmaers, hvor efter dette værk Copieres, skal findes i Amsterdam hos en D. Mied, hvilket ieg og med første har haab om at faae at see. Ieg frygter allerede at være bleven kiedsommelig ved mine underrætninger, vil derfor komme til mig selv. Ieg forlader Holland ved juni maanedes udgang. Til Engeland har ieg agtet mig, hvis ieg i denne Sommer kand faae Sloane Cabinet at see, hvis ikke gaaer touren først til Paris. I mit seneste tog ieg mig den frihed, stolende paa D. Velb. sædvanlige bevaagenhed for mig, at udbede mig nogen Recommendation i disse lande hos D. Velb. Venner, ieg agtede samme at være mig fordelagtig i min Curiositets opfyldelse. Ieg repeterer det her ved ydmygst, og forsikrer

med min underdanige hilsens formæld for Velbr Frue og Familie, at være

Velbaarne her Archiaters

Lyden d. 16 April 1754.

ærbødigste Tiener

P. Ascanius

(16)

Velbaarne her Archiater

Ieg haaber at mine forrige ere Deres Vbr. rigtig tilhænde komne, og tilskriver Deres mangfoldige forrætninger fremfor nogen anden aarsag, at ieg til dato ei har været saa lykkelig, at see noget svar der paa. Endnu, da jeg en af dagene forlader holland, for at gaae til London, har den ære at berætte et og andet botanisk. Den nye Prof. v. Royen har for nogen tiid holt sin inaugural oration de historia et usu hortorum academicorum, og begynder formodentlig sine lectioner ved vacancens ende. Prof. Wachendorff har ieg og haft den ære at besøge, hvis compliment ieg tillige haver at formælde Deres Vbr. Han har en artig samling af mineralier, og der til nylig kjøbt Brückmanns i Brunswig. Den botaniske have i Utrecht er virkelig et mynster af orden og næthed, ja jeg troer, rigere end den Lydenske. Her findes besynderlig hos Bloemisterne adskilligt nyt mest fra Cap. Til exempel derpaa har ieg hermed den ære at meddele beskrivelse over 4 som ieg har agtet nye genera, og hvilke ieg ingenstæds har fundet uden hos van Hazem Bloemist her ved Byen, en virkelig curieux man i sit slægt. Hand er egentlig og den første der har haft Cunonia og beskylder her Büttner, at have hanlet mod sit løfte. Af bemældte genere findes hos ham 5 à 6 species, som dog denne sommer, der her har været sær kold, ei have floreret, den holdes ellers her af alle for et distinct genus. her Cuno haver en liden have der indeholder faae ting. Det skal være en ganske læt sag, at faae tilladelse til at gaae til Cap, som her Gronovius og Cuno bægge foregive, hvilken siste endnu beklager at D. Kaehler ei her addresserede sig til ham. Hand corresponderer ellers med den Hortulanus, fra hvilken man her for nærværende

haver alting. Vi ere egentlig 2 stud. Botanices her ved Academiet, og har leilighed nok til at faae adskilligt artigt, men denne hollandske sommer har ei været favorabel til at tørre urter.

Min Camerat er en Rus her Schepin en Siberier. Ieg kand med Raison anmælde Deres Vlbr. hans virkelige høiagtelse for Dem, og har han isinde, saa snart hand kand faae tilladelse af Academiet hvis membrum han er, at besøge Upsala, hvor til ieg og har søgt at opmuntre ham.

Ellers har vi og her denne sommer haft 2 Prof. botanices her sc. her Staehelin fra Basel og her Oeder fra Kiøbenhavn, der begge for kort ere gaaene til London. Man har gjort sig stor Umage at faae Prof. Gaubig til Rusland, men 10,000 Rubel har ei kundet bevæge ham. De Gorter er der imod for den halve Sum hengaaen med sin ganske familie. Af forbemælte har da den ære at oversænde Deres Velbr. saa gode exemplar som har kundet haves. Resten overlades Deres Velbr. Skjønsomhed og gunstige omdømme. Figuren der af har jeg haft leilighed at faae, og om jeg maae være saa lykkelig at see hvor vit ieg har feilet eller ei fra D. V., vil maaskee overgive dem Vores Acter. Med her Collinson faaer formodentlig bekæntskab i London om D. V. behager at adressere mig et brev. Naar faaer udbedet mig Deres Velbr. bevaagenhed, har ieg den ære at være

Velbaarne Hr Archiaters

ærbødigste Tiener

P Ascanius

Leyden d. 5 septbr
1754.

(17)

Viro excellentissimo

Præceptorio optimo

Carolo Linnæo Eqv.

S. D. P. Ascanius

Accepi haud ita pridem V. E. literas tuas per Dⁿ Collinsonium, mihi gratissimas, utpote diu exspectatas, video Te accepisse ultimas meas ex Hollandia cum adjuncta theca plantas continente.

1. quam gladioli speciem dicis, non potui dum recentem examinavi cum isto genere conjungere. *Cunonia* Büttneri est *Watsonia* Milleri, ut video ex ejus Dictionario Hortulanorum. Contuli meam figuram cum illius, penes ipsum Chelseæ. *Cunoniam* florentem in Hollandia non vidi, *Watsoniam* ignoraui, ita ut mea planta sit ea ipsa species *Cunoniæ* quod distinctum (ni fallor) est genus, quam *Watsoniam* heic vocant à Pharmacopola Watson F. R. S.

2. Figuram quidem habeo, sed non satis adcuratam ut publici juris fieri queat; jucundissimum mihi esset si ex seminibus Upsaliæ floreat, et totum Tibi relinquo, Floristæ van Hazem meruit nomen, si placet.

3. non est *Cyanella* Royeni, quam satis examinavi semper cum V. stam. et totus habitus differt a mea.

4. nil habeo quod moneam.

Quod ad statum Hist. Nat. in Anglia adinet pauca sunt notatu digna, pro ratione famæ hujus regionis divitiarum etc. Pontopidani nostri liber, *Forsøg til Norges nat. hist.* in anglicam linguam conversus est. Singularia ille refert de monstro *Siøe Ormen*, *Microcosmo* etc. in parte 2da libri, testimonia fide historica ferè digna affert, ceterum suspendo judicium, placebit interim liber Anglis, licet translatio erit satis prava.

Vidi Oxonium jam Mense octobri ultimo famosam adeo Musarum sedem, et quid mirum IX virgines ibi habitare? cum nulla in orbe academia possideat splendidiora palatia, numerosiores bibliothecas, gallerias, Musea etc.

Prodibit intra annum Hist. nat. Jamaicae autore D^r Browne qui, jam redux, ibi per 9 annos vixit, vir in hist. nat. peritus, meliora Sloanio multa præstabit, examinavit ibi imprimis plantas et credo illum fere centum nova habere genera et L correctæ ex loco natali, dabit hic vir egregius, qui systema sexuale sequitur, figuras omnium per exercitatissimum D^a Ehret qui botanicam adhuc amat et botanicus est, salutem Tibi dicit officiosissimam, fuit ante aliquot annos hortulanus oxoniensis, sed plus siccus Professore, debuit abire,

parum abest quin fiat Pictor Horti nostri futuri. Dⁿ Millerus mihi fasciculum seminum tradidit jam mense februario, sed prius non potui mittere ob defectum occasionis. Non vidi Pr. Sibthorpium Oxonii, tum absentem neque Mscripta Dillenii et Sherardi, quod doleo, narratur mihi pro crepundiis uti, heic cum Pr. Sibthorpio locutus quæsi de publicatione istarum rerum, respondit tales res exigere longum tempus, nec literatum ad palatum bibliopolarum sese gerere debere.

Prædictus Watson in diario anglico mense Xbri recensionem Sp. Plantarum faciens, multa contradicere voluit sed nil nisi puerilia dixit, imprimis ægre ferunt Angli exclusionem Meadiæ Catesbeyi, cujus nullam eis reddere possum rationem, laudatur ab omnibus Meadius et imprimis ab Ehretio pro singulari studio in Hist. nat. 200tas figuras rarissimarum plantarum ab Ehretio confectas pro 400tis guineis reliquit.

Musæum Britannicum ex vastissimis collectionibus Sloanei et Regiæ Societatis conficiendum incipient quam primum erigere in Domo Montaguæ sed vix intra Xnium perficiatur opus, erit tum operæ pretium propter hoc solum videre Angliam, ambæ hæ collectiones jam in pessima confusione sunt, et multa penitus perdita per incuriam et defectum loci, sed ab omni angulo orbis in dies augentur.

Tractatum de Corallinis (sertulariis) nuper edidit Dⁿ Ellis F. R. S. ope microscopii singularis detexit ista omnia esse Polyporum opera et crustas, quas per totam longitudinem inhabitant hæc animalia, multa specimina habet ubi tentacula exserunt ex alis et summitatibus ramorum eodem modo quo Trembleyi, huc etiam pertinet manus mortua, ficus marinus cet. De lithophytis et in specie Flab. Ven. idem adserit, sed calculum adhuc vix audeo adjicere. Primus autor horum experimentorum est Dⁿ Büttnerus, qui nuper Parisiis Berolinum profectus est, curiosa sunt experimenta, quæ in litoribus proximis quam primum repetam. B. Iussui sententia de hisce rebus huc usque heic non viget, sed chrySTALLISATIO Bakeri, optimus hic est vir cujus experimenta

microscopica pulcherrima licet simplicissima sunt, confirmavit interim Vestram sententiam de generatione Xstall.

D^a Dacosta judæus jam diu in edenda Historia fossilium lingua Anglica laborat, egregiam certe mineralium collectionem possidet aut possedit, nam hodie propter æs alienum incarceratus est, sed est collectio in manibus amici, ita ut partibus possit uti, est certe in sua provincia non leviter versatus, et species plures qvam ullus alius nobis dabit.

D^a Hill famosissimus Angliæ hist. naturalis jam est in pessimo statu, nullum credo mortalium cum majori audacia et ignorantia scripsisse, excusari tamen potest, nam debuit vivere, ergo debuit scribere.

Habui literas ex 24 martii a D^a Gronovio, incipit jam ex gravissimo morbo convalescere, præfatio ad Floram Rauwolfii et ejus vita ad prelum parata est, cet.

Bene valeo inter Anglos, qvorum humanitatem laudare debeo, sed initio mensis junii proximi ero Parisiis. Salutes qvæso conterraneos meos in species D^a Holm. Dab. London 7 april. 1755. *)

(18)

Viro Illustri

Carolo Linnæo

S. P. D.

P. Ascanius

Mea certe memoria nec excidisti nec excidere potuisti, Vir Illustris. Interim cum à proposito, ut ad Te scriberem per varios annos varia avocavere, gratissimus mihi fuit tuarum literarum adventus, qvæ tuam erga me, cujus varia olim documenta habui, benevolentiam ulterius confirmant.

Iucundum mihi est, qvod herbæ ex Hollandia olim missæ placuere, tum temporis Botanicen colebam cum reliquis Hist.

*) Dette Brev er oversat paa Engelsk i: A Selection of the correspondence of Linnæus, and other naturalists, from the original manuscripts. By Sir James Edwards Smith, M. D. F. R. S. &c. &c. President of the Linnæan Society. In two volumes. Vol. II. London 1821. p. 479—483.

Nat. partibus, hodie autem Mineralogia mihi specialiter designata est, nec in omnibus adæquati quidquam præstare hominibus datum. Impetravi a Collega D. Oedero inclusa semina, quæ Tibi forte haud ingrata erunt quorum nonnulla in Catalogo Specierum Pl. non inveniuntur, si de hisce, dum adoleverint, certiolem me reddere velis, et nonnulla pro Instituto nostro Botanico communicare, par pari referre conabimur. Ratio instituti (avertissement) operis Floræ Dano-Norvegicæ hisce diebus publicatur prelo, hoc quam primo Tibi mittam.

Quas in Itineribus chartæ conjeci observationes, bene multæ autem sunt per septennium factæ, huc usque in ordinem redigere propter alia et graviora negotia non potui, quam primum autem spero partem Italicam procedituram fore.

Mirum sane descriptiones mineralogicas adhuc vix ultra illa objecta extendi, quæ septentrionalis continet Europa, classemque vulcanicam plane desiderari, quæ tamen terrarum, pætrarum, minerarum etc Species bene multas continet, hisce præsertim abundat Italia tanta quanta olim combusta, sed hæc tempora sphaeram chronologiæ nostræ excedant necesse est.

Montes in his regionibus constant calcareo albido ut plurimum, impalpabili, puro a summo ad immum, colles Lava, Islandi Røyne vocant, structura et duritie saxi, micacei, ferruginei (si ex abundantia micæ circa vulcanos concludere liceat, et hæc productum vulcanicum habenda), Planities, et in Specie Romana 30 Mil. ital. diametri Puteolanæ speciebus variis, hæc, quæ secundum Plinium mirabilia facit, jam in loco natali prope Puteolum (pouzzoli) Giura vocati, Plures in Vesuvio dies degi, quem etiam in hisce habui magistrum.

Vides itaque, Vir illustris, quod Europa australis in regno lapideo nobis magis ignota sit quam vegetabili, idque propter facilitatem majorem in uno quam in altero. Scribam Charlottoburgi Hafniæ aprilis d. 24 1761. *)

*) Oversat i Linn. Corr. II, 483.

(19) Illustrissimo Celeberrimoque Viro
Carolo v. Linné Eqv.
S. P. D.
Petrus Ascanius

Per aliquot annos Itinera dum feci in variis Daniæ Provinciis, Regio Mandato, observationes mineralogicas et oeconomicas principem quidem finem habui, pictore ut plurimum destitutus.

Interim circa Metropolim, ubi Copia pictoris facilior, variorum, præcipue piscium, figuras collegi, ex hisce natus est Libellus Iconum primus, quem Tibi, Vir celebr., officiosissime adjectum offero.

Nam ad Hist. nat. perfectionem facilior et certior mihi videtur via, si quis propriam sumserit Partem, propriam Provinciam, alienis sepositis, ita nata est Flora Tua et Danica Oederi.

Has inter Icones duas piscium novas species Labri nempe et Gadi, avium totidem, invenies Tringæ ferrugineæ descriptionem, me inscio, ad Te misisse Dⁿ König, video, Islandica quidem appellari queat, sed ex observationibus Dⁿⁱ Teilmanni didici illam magna copia in septentrionali Iutia habitare, et varietatem griseam esse illius, vestitum primi anni uti in multis aliis avibus, ita sententia Islandorum confirmata est.

Reditu nupero Dⁿⁱ Niebuhr finita tandem est missio nostra arabica. Societas hæc Literaria minus bene quidem ab initio composita fuit, hinc dissensio et adversa fortuna. In Egypto multo dispendio varia quidem observata et collecta fuere, sed eadem adversa fortuna domum missa, paucissimis servatis. Post adventum in Iemen Arabiæ, destinationis proprium Locum, ubi sani adventarunt omnes, pestifera quasi tabes totam invasit Societatem quæ, si mathematicos Gallorum exceperis, majori sumptu et adparatu nusquam instituta fuerit. In parte mathematica multa tamen à Niebuhrio speramus. In colligendis rebus naturalibus, maxime marinis, præter B. Forskålum, spartam suam bene implevisse Kramerrum, ex Sarcinis, quas jam lustro, invenio, quem in finem

etiam hunc Societati adjunxi, cum de observatore tantum cogitaverat elbr. Michaelis, neglecto pictore et collectore.

Ad Scientiam naturalem autem proprie quid in MScriptis et observatis defunctorum lateat adhuc ignoro, sed breve incipienda disquisitio, a Commissione (ut vocant).

Qvæ domum missa sunt Naturalia maxime ad conchologiam pertinent, ubi varia nova et curiosa, ludunt maxime Labio suo digitato Strombi, pro varia ætate animalis, interdum nullo interdum plurimis ita ut in hisce genera stabilita omnino deficient solis observationibus, in vivo perficiendis, sed qvam paucis hoc datum!

Cardii speciem olim ab Egypto missam, pulcherrimum testaceum, et cujus alterum exemplar in ultimis sarcinis inveni, Tibi jam dudum a Dⁿ Spenglero missum video et insertum titulo retusi, sed descriptio minus quadrat.

Specimina olim rariora, partim nova, cum satis magna copia jam possidet Musæum, qvæ omnia fere ex mari rubro et sinu persico, impetrata Superiorum licentia, nonnulla Tibi, Vir Illustr., transmittere conabor, exspectaturus a Te mineralia rariora aut inquilina aut peregrina. Interim ut valeas in Scientiæ emolumentum mihiqve favere pergas velim!

Dabam Charlottoburgi 4^{to} Xbris 1767

P. S. Dⁿ König olim missionarius naturalista Islandicus jam in Indiam missus est, titulo Medici missionis Evangelicæ in Tanjour.

Dⁿⁱ Oederi salutem Tibi dico, petit, ut per aliquem Legationis Svecicæ recipere velis Fasciculum Floræ proximum et sequentes, Schedulamqve manu tua signatam illi mittas.*)

(20)*

Tronhiem xbr 15. 1782

De unskylder Min gunstige Herre, at brevet om deres Sal. Faders, min meget ærede Læreres, død, saa sildigen besvares — Da Ieg nu siden 6—7 Aar er kommen saa langt

*) Oversat i Linn. Corr. II, 485.

ud af min vei, og boer næsten ved Verdens ende mod Polen, saa har ieg fast afladt fra ald litterarisk Correspondence.

Det eneste ieg beklager er, at man omsider kan og skal overleve sig selv — saaledes kiente Newton til sist ei sin egen Regning — De 60 ere Menniskets egentlige destination, der ved er ieg nu, og ønskede ei synderlig videre, om Guderne det saa ville lave, thi ungdommen er vakker, mandommen behagelig, men alderdommen kun til besvær for os selv og Andre — Det gaaer med Videnskabene, thi aldeles kan dog ei endnu glemme dem, som med Moden og Smagen, De forandres immer. For 30 Aar siden var Nat. Hist. de Lærdes almindelige yndling, man drev det da noget for vidt med Nomenclatur, og Smagen tabte sig. En Priestleys, i begyndelsen ganske enfoldige experimenter, have gjort nye Epoche i den fysiske Kemie, og, skjønt man nu secificerer luften alt for meget, thi dens Syre er dog kun en meget gammel Ting døbt paa nye, saa har dog alt dette givet anledning til opdagelser, der ere baade vigtige og mærkværdige, hvilket Lavoisier nylig har viist. Efter Skotlænderne har og eders Wilcke gjort vakre opdagelser om Ildens væsen. Vandets egenskab burde for længst have lært os noget videre, men kunskabernes Fremme haver sin egen Gang, og nu først kan vi vente store Skrit —

Ieg begynte og engang at ville være Skribent i nat hist. som da var mit kald, men skiebnen førte mig i en anden vei, ieg maatte forlade havet og tage fat paa Bergene nu seer ieg at Bloch i Berlin optager arbeidet med Fiskene. Ved de 2 første hefter havde ieg selv opsigt men de toe siste ere i min Fravære saaledes af Maleren forhudlede at de tiene til slet intet. 40 Teigninger ere saaledes taliter qualiter udgivne og 60 har ieg endnu tilbage for min egen fornøielse og Penge — Maaskee ieg dog paa Forlangende sænder dem til Berlin, at bruges af D. Blok thi siden ieg maatte forlade kjøbhv. er ald leilighed for mig, til at gjøre noget videre i den sag, betagen. Af mine Upsala Venner og bekiente leve nu vel ingen uden den værdige Wallerius, hvis bog om Verld. Dan. ieg nylig ei uden fornøielse har læst —

han maae være lykkelig i Sin høie Alder. Naar Sindets kræfter vil vare saa længe, er det en hærlic Sag.

Mine Venner Grev Smettau og Major Horneman, som nu reise til Stokhl tage dette med, om de komme til Upsal veed ieg ei Dersom Min Herre vil sende mig nogen piece ad nova liter. henhørende kan de over Iemtld best befordres og leveres til købmd Peder Stammer i Stokh. med adresse til Peder Falk i Tronhj. da vi hele vinteren have communication did hen

Nest beste ønske, har ieg den ære at være

Min Herre deres

skyldigste tiener

Ascanius —

Berghauptman Nordenfields

Peter Forsskåhl.

(21) Göttingen d. 23. Febr. 1755. — Oeder præfectus horti i Köpenhamn har warit här i dessa dagar och berättat huru storståteligt han will anlägga hortus botanicus i Köpenhamn efter han kan få dertill så mycket penger af Kungen som han will, och att han nu skall till Norje att der på 3 år samla en flora Norrvegica.

(22) Kjøbenhavn d. 4. Octob. 1760. — [Kom til Kbhvn. d. 30. Sept., var samme Dag hos Bernstorf] och blef mycket gracieux emottagen. [Kratzenstein, Oeder og Ascanius have udseet en dansk Student til Reisen, en Discipel af Kratzenstein; Forsskåhl frygter for at faae en upaalidelig Kamerat.] Professor Oeder är en ganska fromm, höflig och tjenstaktig man, så att jag wist tror att Dr. Holm af blott afund eller Malice sökt swärta honom hos Herr Archiatern. Han har aldeles nomina generica och trivialia i bruk efter H. Archiaterns bocker.

(23) Kjøbenhavn d. 14. Dec. 1760. — [En Dansk, Kramer, Prof. Kratzensteins] amanuens skall bli mig följaktig som Natural-historicus. Men efter all apparence lär emellen

honom och mig ej bli mer harmonie, än att wi arbeta hwer för sig och cachera för hwaran. Det är en sak, som gör mig resan ledsam, men det hjälper ej. Jag har rönt för den sakan många intriguer, som ock gådt så långt, att man sökt anskrifwa mig som illa sint mot danska nationen. Herr Falck resar nu snart tillbaka och kan berätta widere.

(24) Constantinopel d. 4. Sept. 1761. — Detta under address till Prof. Oeder, som i min tanka är den enda af de studerte naturalister i Köpenhamn hos hwilken något solidité finns.

Christian Gottlieb Kratzenstein

f. 1723. d. 1795.

(25) Perillustri, Excellentissimo atque Experientissimo
Archiatro,

C. Linnæo,

Naturalistarum Principi,

M. P. F.

Christianus Gottlieb Kratzenstein.

in acad. Havn. Medic. et Phys. exp. Prof.

Collega nostro amantissimo, Dn. Friis Rottboel, Medicinæ Professore designato, iter Vpsalam faciente ad invisenda quoque Suecica naturæ regna, quae inculta atque derelicta olim Te, Vir excellentissime, novum conditorem atque restauratorem agnoscunt, non potui diutius mihi eam denegare voluptatem, quanti Te, meritaque Tua, super æthera nota, venerer, Tibi indicandi. Facile quidem largior, aliquid temeritatis subesse, si quis tanti Viri, qui non tamquam academïæ Upsaliensis solum, sed potius academïæ totius Europæ Professor considerandus est, negotia interpellare conatur, quem tenuior arena sua ad ordines insectorum inter eruditos reducit, et cuius neque nomen, neque munus, neque fama urbis moenia facile transcendit. Ego tamen de eodem Tuo munere Professorio universali proficere studens, eius audaciæ veniam

mihî spondeo. Si quæris, quis sim, en Tibi imaginem mei. Ad radices Bructeri et Hercyniæ natus jam a puero rerum et phænomenorum naturalium, in specie quoque botanices, studiosus fieri coepi; neque obiectorum inopia ibi pressus, neque fido duce, quem Poliater agebat, destitutus. Haec puerilia mea elementa augebantur deinde Langii, Profess. Halensis, institutionibus, ad normam systematis Tui traditis, itineribusque et super- et subterraneis, viscerum præcipue Hercyniæ perquisitionibus. Mature vero paullo post tres ultra vicesimum annos natus Petropolin vocor, ad munus Professoris Matheseos practicæ apud academiam scientiarum ibi subeundum, ubi fere in totum totam naturæ familiam, et Plutonem scilicet et Faunam et Floram deserere, dædalicisque potius artibus (est mihi in Societ. Imperial. N. C., ex qua mihi quoque sodalitii Tecum vinculi honos, Dædali III. nomen) operam dare, inque eis omne meum studium collocare cogebam. Quid mirum, si in labyrintho isto dædalico per quinquennium detentum et Dei et Dearum istarum me cepisset oblivio. Non tamen eo usque harum Gratiarum vultus ex pectore meo erant lapsi, quin eas, postquam demum non cerearum sed lintearum alarum ope ex labyrintho isto evolveram, redamaverim. Iam quidem plus Faunæ entomicæ, quam Floræ pulchritudine me captum esse fateor, quippe cuius vivax et mobile temperamentum genio meo jam plus arridet, quam placidæ et mites sororis suæ illecebræ, quæ me forsân senescentem magis demum illi infidum reddere valebunt. Vt debeo tamen, totam familiam, consanguineo vinculo junctam, colo. Ex quo mihi in Havniensi nostra academia Professoris physices experimentalis munus demandatum fuit, vestigia Tua premens, historiam naturalem, hic plane antehâc incultam, nostratibus familiarem et amicabilem reddere, quantum potui, studui, idque successu non plane frustraneo, subjecta partim ex museolo meo (quod sedes mea hucusque nimium vaga nondum in museum commutari permisit) partim ex iconibus ad vivum pictis demonstrans. Post mineralis regni perlustrationem chemiam, docimaciam et metallurgiam theor. et practice subiungo. Iam de campo meo

naturalistico latius extendendo serio cogito. Procul dubio Tibi, Vir celeberrime, non nihil de expeditione Myliana, Kalmianæ æmula, historiæ naturalis quarundam americanarum provinciarum conquirendæ gratia dirigente Hallero suscepta, innotuit, quæ vero fatis præmaturis C. Mylii in ipsis jam liminibus finita est. Quoniam Rex noster notabilem portionem sumtuum ad hanc expeditionem requisitorum in se suscepit, occasio inde mihi fuit data in Mylii quidem non locum sed simile munus adipiscendi hominem, ad illud negotium fere natum Julii Bernh. de Rohr, Canonici olim Merseburgensis, historia sua naturali Hercyniæ, Phytotheologia aliisque similibus scriptis clari filium, Medicinæ Candidatum, qui sola munificentia regia suffultus, sub titulo Naturalistæ regii, mea instructione omnibusque ad illud negotium requisitis instrumentis comitatus, quam proxime insulas Danicas Americanas, St. Crucis, St. Thomæ et Joannis petiturus est, ad Floram, Faunam, Plutonem, Proserpinam et Nereides eius regionis, quam fieri potest, diligentissime colligenda et describenda. Abhinc noster ad alias quoque exteras Danorum colonias et sedes (immo, si licuerit, etiam Hollandorum, Gallorum et Anglorum) abiturus est, ad idem negotium continuandum, donec eo studio exsatiatus ille ipse domum revertere velit. Ipse ego quidem ex meis experienciis, cum eiusdem partim studii gratia Sibiricæ borealem partem, mare album, arcticum et balthicum pervagaverim, consilia eò pertinentia dedi. Si vero Tibi, vir excellentissime, placeret his de Tuis multo magis maturis et aliis quoque de Kalmio Clarissimo profectis aliqua addere, foetus forsitan vnus vel alter Floræ indicæ occidentalis non ingratus pro isto studio Tuo collato gratias reddere possent.

Marem Lampyridum Te nondum vidisse in Fauna scribis. Cum ego, noctilucarum admodum amans per æstatem colonias horum insectorum nutrire soleam, eaque conjugata habuerim, si jusseris, vel iconem vel naturale exemplar vnum vel alterum mittam. Mas primo intuitu Elaterem refert, exactius vero consideratus caput cassidis, abdomen vero et elytra flexilia Cantharidum ostendit. Ova pariter lucida sunt, sed debilius lumen spargunt. Pluviosa præcipue nocte nuptias

celebrant. In editione systematis Tui Lipsiensi, denominatio Generis 152: *Coccinella* translatori ad lepidum errorem occasionem dedit, accipiendi speciem primam pro *Cochinella* scarlatinum colorem præbente. *Chrysomelas* me cognoscere credo, sed quid per antennas moniliformes earum intelligendum sit scire amem. Idem translator, ni fallor, Cel. Hebenstreit, Prof. Lips. genus 158 *Mordellarum* pro *Notonecta* suscepit et in *Wasserwanze* (*Cimex aquaticus*) transtulit; Vt et *Cicindelas Tuas* in *leuchtende Käfer* (*Noctilucas*). Miror ipsum non etiam *Cantharides* in *spanische Fliege* (*Cantharides officinar.*) transtulisse, de quibus ipse tamen non satis certus sum, num Tu eas ad genus *Cantharidum officinarum* retuleris; olim Halæ per vnicum modo diem in syringa maximo numero hospitantes vidi. Num *Leptura* a *λεπτός* et *ἔρα*? num *Necydalis* quasi mortuos lædens? et quale illud insectum antiquis probabiliter fuerit? Vnde *Aphis*? num forsitan ex *Ἀφία*? Vnde *Thrips*, *Panorpa*, *Tenthredo* et *Cynips*? Ex Te scire amem. Ne detrectes agere Professoris Professorem. Ne objicias talia discipulis Tuis esse nota. Volo enim etiam ex ea parte Tuus fieri et esse discipulus. Et licet conjecturando rem assequi possem, potius tamen mihi erit certitudinem eius ex fonte haurire. Insuper ex Te erogo, vbi figuræ *Amphitrites*, *Tethyos*, *Nereid.*, *Tritonis* et *Salaciæ* inveniantur ad Tuas quidem denominationes respondententes. Qualis inter cochleas *Helix* et *Fistula*? inter *Dentalia* *Penicillus*? inter *Nautilus* *Lithuus*? inter conchas *Buccardium*? cum nulla citatio rem indigitans ad hæc nomina adsit; Quorsum referas *Nautilus* tenuem, papyraceum vnilocularem? Plura hæc sunt, quam in vna lectione exspectare queam. Omnia vero otiosis Tibi quibusdam, vel saltem minus laboriosis, momentis relinquo.

Ex pagellis simul ad Te missis laboris mei præsentis specimen conspicias, cuius conditionem, quoad icones conchyliorum naturalibus coloribus pictas excellentem, D. Pr. Friis tamquam autoptes fusius indicabit. Quod ad meam partem huius operis attinet, non possum quidem jure ab vlllo Naturalistarum, minime a Tuæ perspicaciæ Viro favens exspectare iudicium, cum ipse fateor me demum tironem in hoc studio

esse, meque hoc opus potius ignominiaevitandae, quam honoris acquirendi gratia suscepisse, ne, cum nemo praeter me Havniensium illud suscipere vellet, Patroni neminem hic plane adesse, qui earum rerum aliquam cognitionem haberet, existimarent. Reliquas plagas, postquam impressae fuerint, si jusseris, pariter transmittam. Vale, diutissimeque Naturae vive. Dab. Havniae. D. 29 Martii. 1757.

(26) Generosissimo atque Experientissimo Equiti
 atque Archiatro,
 Carolo Linnæo,
 M. P. F.
 Chr. Gottl. Kratzenstein.

Quam libenter Tibi, Vir generosissime, statim post acceptas a Te exoptatissimas litteras, icones conchyliorum operis Regenfussiani a me descriptorum transmissem, singularis tamen cogitandi ratio nostri chalcographi impedivit, quo minus hoc fieri potuerit. Quam blandam etiam ideam ipsi instillaverim, de honore in opus suum redundante, si eius in promissa a Te Editione 10ma systematis naturae, quam orbis litteratus quasi devorabit praefame, mentio fieret, noluit tamen nigras mittere tabulas, ne ex illarum contemplatione, tamquam non ut nigræ manerent, sed ut coloribus pingerentur, paratarum, sinistrum de ipsius arte et dexteritate resultaret iudicium. Tabulae vero pictae non citius quam hisce diebus parari et absolvi poterant, quas adeo, cum jam D. Doctor Lamberg, aulae Holmiensis sacerdos, patriam terram repetit, Tuae perspicaciae offero. In emolumentum et honorem Chalcographi optarem, ut haec tabulae adhuc saturae advenirent, quo citationibus Tuis in parte conchyliologica Systematis Tui inservire queant. Impressio explicationis ex fine Martii, propter impedimenta quaedam ex parte chalcographi, cessavit. Impressas vero reliquas, praeter jam transmissas plagas simul mitto. Plagae istae sunt tantum supernumerariae. Ordinaria enim forma earum est regalis major; ego vero satius duxi exemplar impressum huius formae non citius, quam opere

absoluto, Tibi transmittere, quod tum cum iconibus convenienter compingi poterit. Synonyma conchyliorum Tab. VII ad XII proximis abhinc diebus curabo, et descriptas sine mora pariter transmittam.

Cantharides officinarum huc quidem quibusdam annis advenisse ab amicis audivi. Hoc anno vero eas nondum licuit mihi invenire. Cum jubeas frondes ligustri concutere, ut decidant, inde fere concluderem, Te speciem aliquam exiguam cantharidum hîc intelligere. Cantharid. enim offic. quas ego novi et hîc in officinis invenio, vidi examinis fere apum instar et satis grandes Syringam hisp. circumvolitasse eiqve in cumulis adhæsisse, vt et ex longinquo conspici, et olfactu percipi potuerint. Inventas non morabor ad Te vivas mittere ad coloniam aliquam stabiliendam.

Illud ipsum, quod scribis: Nautilus crassum et papyraceum toto coelo differre, erat ratio, quare Te de loco, quorum quisque referendus foret, consuluerim. Secundum sextam enim editionem systematis (recentiorem enim hîc non habemus) Nautili animal est sepia et testa multilocularis, cochleæ vero testa vnilocularis. Iam nautili papyracei animal quidem est sepia, sed testa vnilocularis, ergo neque ad cochleas neque ad illud genus nautili ibi descripti referenda. Nautili crassi animal limax eum quidem ad cochleas, sed testa multilocularis eundem ad nautilos refert. Forsan vero hæc in editionibus a me non visis 7ma ad 9nam alio modo jam disposita sunt.

Editionem 10mam systematis Tui admodum esurio.

Gratissimum mihi foret munus, si plagas de regno animalis absoluto, tantum supernumerarias vel rejectilias, quam primum illæ impressæ fuerint, ad me transmitteres. Exemplar mei novi systematis physicæ experimentalis minimum erit, quod in eius locum remissurus sum, quod pariter proxime erit absolutum.

Num Dominus de Rohr, vt nuper retuli, ad insulas danas americanas historiæ naturalis gratia missus, eô felix pervenerit, nondum scio. Ceterum omnia, quæ inde exoptas,

ex voto Tuo adferri curabo, simulac de eius incolumitate in hisce terris certus ero factus.

Abitus D. D. Lambergii hoc momento instans me has litteras citius, quam vellem, abrumpere cogit. Non citius vero hoc facere possum, nisi postquam me de novo amicitiae Tuæ commendaverim et continuationem fructuosi Tui commercii epistolici ex Te erogitaverim. Vale et in orbis litterarii emolumentum diu et bene Vale. Dabam Havniæ. d. 23. Julii. 1757.

(27) Generosissimo Equiti, experientissimoque
 Archiatro,
 Carolo Linnæo,
 M. P. F.
 Christianus Gottlieb Kratzenstein.

Ad Naturalistarum Principem jam iterum par ex optimis Auditorum meorum delego, Widemannum nimirum, Theologiæ, et Stormium, Medicinæ Candidatum (inter quos præcipue prior non contemnenda fundamenta in historia naturali posuit) vt se in hoc campo, Te Duce, vltius perficiant, in Academia Vpsaliensi per aliquot annos commoraturi. Si ad eam benevolentiam, qua sponte omnes advenas excipere soles, aliquid accedere poterit, eos Tibi et præcipue Widemannum, quem amo, studiose commendo. Hunc forsitan et Tu, Vir generosissime, si ei propiorem aditum ad Te concesseris, propter morum gratam simplicitatem, mentis integritatem et sinceritatem, et præcipue propter amorem suum historiæ naturalis et felix ingenium amabis. Eius notitia in studio naturæ, præter physicam, quam perbene callet, potissimum regnum animale eiusque posteriores ordines, nonnihil etiam regnum minerale spectat. In regno vegetabili, cum ad gustum et intentionem plurimorum me accommodare debeam, auditoribus meis paucis istis, qui botanicam amant, levissima tantum fundamenta generalia tradere possum; nam si vellem, instructi bene horti medici defectus (horti quidem duo adsunt medici) non faveret. Idem Widemannus, in lingvis peregrinis, angli-

cana, gallica p. p. bene versatus, si ex hoc fonte Tibi ad manus utilis esse poterit, studia sua offert.

Tabulas pictas XII. operis conchyliologici Regenfussiani, vt spero, jam accepisti, cum textus parte jam impressa. Misi hoc convolutum per D. Doct. Lamberg, in aula stochholmiensi sacerdotem designatum, per Havniam iter facientem et in patriam redeuntem seque offerentem ad fidam eius traditionem. Postquam illud jam traditum et inter alias sarcinas absconditum erat, Ille demum confitebatur, se forsitan per aliquot hebdomades Gothenburgi commoraturum fore. Qua re percepta, convolutum retrahere non valens, rogavi vt in hoc casu illud sine mora sub involuero et inscriptione ad Academiam scient. regiam per postam transmitteret, quod ipse statim fecissem, nisi hanc occasionem meliorem iudicasset, convolutum istud ab injuriis pluviae melius et tutius defendere, cum picturae humiditatem non ferant. Versus finem huius anni hoc opus, scil. quoad tom. I. quod per aliquod tempus interruptum fuit, absolutum fore spero, quod vt assensum et laudem Tuam, summi tamquam Naturalistae mereatur, est quod opto.

Me novam systematis Tui naturae editionem avide esurire in litteris per Dom. Lambergium missis jam prodidi. Scio quidem perbene, plurimos celebriorum Auctorum non solere in novis conditis plagas jam impressas ante plenarie absolutum et editum opus cum quoquam communicare, ex rationibus satis cognitis; ego quidem in hac re non scrupulosus sum, nec fui; et si hoc rationes istas apud Te remove valet, si polliceor, me cum nemine plagas istas ante plane absolutum et editum opus communicaturum neque me inde aliquid sub meo nomine decerpturum, admodum aveo plagas jam impressas accipere, quia fames mea vix plenariam editionem exspectare valet. Gratum et pergratum mihi hisce plagis facies donum. Acquiescam tamen, si rationes Tibi hoc non permittant.

Tamquam gemma primi ordinis in celeberrimorum Eruditorum Corona diu adhuc vive et vale et me Amicitia Tua dignari perge. Dab. H. d. 26. Augusti 1757.

p. s. Coleopteron illud scolopetizans vel explodens, a Rolandro in A. St. descriptum, si in natura ad me transmitti posset, pergratum quoque mihi foret donum.

(28) Viro Perillustri

Equiti Generosissimo C: Linnæo

S. P. D.

Mense Octobr: 1759.

C. G. Kratzenstein.

Parum aberat, quin erubuerim, cum ultimæ Tuæ mihi traderentur literæ, exeunte anno præcedentē ad me datæ. Mirabar, tantum virum eousque descendere, ut taciturnum amicitia et favoris plus quam solito testimonio excitare velit. Non poterat non mea Tibi præterea debita veneratio magnum inde capere incrementum. Ast mens mea tunc temporis tristi nimis indignatione obnubilata erat, quam ut non in eundem soporem facile iterum inciderim. Postquam famem meam respectu cognitionis rerum naturalium, ex aureo tuo opere, quo gratius donum mihi transmittere non potuisses, cum Euphoria expleveram, statim cogitabam de grati animi mei quadam tessera. Monebam sæpissime Regenfusium ut textus ad tabulas suas conchyliorum completum et splendidum Tibi exemplar traderet. Juste vero is tum monito meo se obsequium præstare posse recusabat, quoniam non nisi 25 exemplaria completa ex prælo prodierant, qui numerus vix aulæ regiæ sufficiebat. Præter expectationem enim increscente opere, in ultimis plagis imprimendis charta deficiebat, nec hic tum comparari poterat. Expectandum adeoque erat donec altera impressio esset absoluta, quæ statim suscipienda erat. Hac occasione vero fatum aliquod expertus sum in orbe literario fere inauditum, quod me per longum tempus in historiam naturalem iratum reddidit. Historia quidem naturalis proprie non erat in culpa. Sed inter medicos notum est, si quis irascatur circa pastum de re plane aliena, de qua vero vindictam capere nequit, naturam suam convertere indignationem in cibum comestum, ejusque digestionem denegare, vel eundem tanquam adversarium suum habere (loquor hic-tanquam Stah-

lianus); vel si cui brachium teneatur ne adversario suo verbera intenta inferre possit, brachium tum devenire paralyticum &c: ita quoque meus casus erat comparatus; En illum. Per quinque circiter annos Sol aulicus mihi fere continuo licet extraneo affulserat. Vix nubeculæ quædam invidentium eum impediverant. Omnibus studia mea erant probata, cum circa Epocham istam fatalem, ubi de reimprimendo Tom: I op: Regenfusiani agebatur, clandestino modo atra nubes totum coelum aulicum respectu mei obducebat. Quoniam iste Minister aulicus, qui penes Regem esse solet, Tutorem istius operis agit, quisque fere aulicus suas cogitationes ipsi aperiebat de isto opere. Cum illud primo prodierat, omnia erant optima. Successive de versione gallica crises audiebantur. Huic illa videbatur quasi stilo Fontenelliano conscripta. Illis vero barbarus stilus idem videbatur. Horum voto prævalente primum decernebatur, nova ut fieri debere versio gallica. Hac occasione etiam illi insurgebant, qui mihi tanquam extraneo invidebant, me unicum (tum saltem temporis) hic fuisse, qui textum huic operi convenientem conscribere potuerit. Cum errores nullos carpere poterant, multo minus stilum germanicum, ut antea Gallicum, reflexiones meas jocosas passim interspersas, ad aridas descriptiones testarum temperandas, aggrediebantur, easque pro vano genio gallico prædicabant, adeoque eliminandas. Paucis: Tutor operis, cui otium nullum est singula perlustrandi suis oculis, demum defatigabatur, et, ne ego excitarer, secretus dabatur jussus, ut in nova impressione tornator aulicus nom: Spenglerus curaret descriptionem conchyliorum, quia hunc, tanquam possessorem egregiæ collectionis testaceorum, ad illud negotium idoneum fore judicabant. Sacerdoti vero aulico, Cramero, demandabatur cura stili purificandi illiterati tornatoris, et novæ introductionis conscribendæ. Huic Sacerdoti, rerum naturalium plane ignaro, tradebantur omnia scripta conchyliologica, ut intra 6 hebdomades ingentem illam sibi cognitionem inde compararet, in qua Tu acquirenda ultra 30 annos laborasti, et ego intra 16 annos vix ejus elementa didicisse mihi videor. Hisce 6 hebdomadibus finitis conscribebatur feliciter magna nova introductio,

ex diversis auctoribus, sibi frequenter contradicentibus compilata. Horum judicia sua faciens auctor, non amplius memor præcedentium, semet ipsum non raro in subsequentiis refutat. D'Argenvillium inferiorem multo habet Lesserus, germano, compilatore, cujus icones ære expressas, pro ligneis impressionibus (holtzschnitte) habet. Sed Lesserus erat Sacerdos. D^o de Reaumur partem honoris tribuit de invento Jussieui, corallia et corallina a polypis et similibus habitari, qui tamen potius inventum Jussieuanum in dubium publico scripto (vid: memoir Paris:) vocavit etc. etc. D^o Ascanio injungebatur cura tabularum, synonyma exhibentium, atque nomina Danica faceret et adderet. Hic, ne pristinam nimis faciem tenerent, mutavit ordinem ita, ut auctores citati anteponerentur nominibus testæ, ut in Fauna Tua, ubi non expectatus honos mihi contigit, ut ordine tibi fuerim antepositus. Ecce astutiam; quis jam cogitabit me auctorem esse hujus immensi laboris synonymorum collectorum, qui mihi tot noctibus insomnibus inter laboriosos dies constitit, cum me Tibi conspicit antepositum? Attamen ne querendi occasio mihi detur, in præfatione dicitur: me suppeditasse elementa tabularum (den stof dazu). Ita jam labor meus, sane non pro pane lucrando susceptus, implicitus est alieno labori, cui interesse fastidio et erubesco. Cum propter nondum editum tunc temporis Tomum I systematis tui, ipsemet mihi nomina quædam generica formare debuerim, inscriptum nomen genericum cujusvis conchylia in prioribus circiter 6 Tabulis mihi proprium relictum; in posterioribus vero 6 tabulis Tua nova nom: generica inscripta sunt, unde similis cochlea et concha in prioribus admodum diversum habet titulum, quam in posterioribus, cum tamen parum accuratus auctor vel Tuas vel meas per totum adhibere debuisset, saltem lectorem de mutatione monere.

Jam dum enim, cum nova impressio inchoaretur, Tom: I Tui systematis prodierat. Quam felix ceterum idem auctor et quam judiciosus in nominibus danicis formandis fuerit ex exemplis quibusdam constabit. Buccardium aliquod aculeatum dicitur Danice: Cor erinacei (Pinnesvinhiertet) quasi cor eri-

nacei pariter esset aculeatum ac corium suum. Fructum mori albæ aculeatum transtulit in fructum Chamemori aculeatum (taggede stachlichte multebær) qui tamen quantum scio aculeatus non existit. Ex leone adscendente (cujus circiter figuras cochlea exhibet) fecit leonem mugientem vel murmurantem (den murrende löve) quasi ejus murmur ex testa exaudiretur etc: etc: Hac occasione tornator aulicus, qui præterea magnam faciem præ se ferre amat, credebat, se optimam occasionem accepisse se magnificandi: Jussu licet secreto habendo, is tamen neminem sinebat ignorare, se jussu aulico meum opus mutare et denuo elaborare debere. Perpendas quæso, quam honorifica mihi talis coram publico poterat esse relatio et fama. Exsecratam meam facilitatem suscipiendi laborem, cujus ipse non esse poteram monarcha, et cujus approbatio ex tot differentis gustus aulicorum judicio et arbitrio pendebat. Conquerebar apud Tutorem operis de opprobrio mihi hac occasione illato, cum ipse potuissem delere et mutare, quæ ad nutum aulæ fuissent delenda et mutanda. Addebam: Tua scripta ipsa, tanquam principiis Naturalistarum non a censoribus invidis et cavillatoribus intacta remansisse, immo aliquot tomos controversiarum contra Te prodiisse. Inde vero famam Tuam non solum non esse imminutam, sed potius auctam, et multo minus aulam suecicam umquam jussisse ut opus tuum per alios immutaretur, sed hoc Tibi soli semper fuisse relictum. Sed periculosum est ostendere (per literas hoc feceram) se per voluntatem aulici esse læsum. Non solum nulla responsio vel ulla mutatio in opere succedebat, sed præterea brevi animadvertēbam omnium, qui ex parte ejus stabant vel ab eo dependent, tergiversionem. Unde novo experimento experiebar: facilius esse ut læsus condonet lædenti, quam lædens læso. En fatum curiosum! duplici ratione mihi infestum, cujus simile vix unquam exstitisse credo, de quo, si publice ultionem capere vellem, exilio id mihi constare posset. Hinc paralysis manus mea si de rebus naturalibus scribendum est. Tempus vero, quod omnibus pathematibus medetur, etiam huic indignationi aliquam medellam successive attulit, et memoriam ejus rei debilitavit. Mone-

bam heri denuo per expressum nuntium Regenfusium (is enim per aliquot milliaria ab urbe habitat) ut exemplar utriusvis editionis textus mihi traderet, quo illud ad te transmittere possem. Respondit vero is, se ipsum exemplaris transmissionem curaturum. Quoniam hæc transmissio admodum incerta¹⁾ est, ad interim Tibi jam transmittam reliquas plagas pertinentes ad illas, quas olim transmisi, vnde quidem completum ast minus (charta minori) splendidum exemplar, Titulo ære impresso et ornamentis initialibus (Vignetten) carens colligere poteris. Videtur, Regenfussium ægre tulisse, te citationem meo nomine addito posuisse in S. N. quoniam meum nomen in titulo locum non habet, sed tantum in præfatione. Sed qui poteras Tu hoc præscire, et qui poteram ego hoc monere? Num pictor quoque vult videri auctor denominationum? ego jam illud opus vix præ oculis ferre possum, et numquam mater infanticida suum partum ita perosa est, quam ego istum meum odi.

Dm. de Rohr vivit adhuc in insula St. Crucis, antillarum. Septies febrem passus et quinquies per Brownium, qui ibidem habitat, curatus est. Ipsam febrem Siamicam (mal de Siam) expertus est, pessimam inter omnes. Jam vegetius valet. Officium vero suum, est enim regius ibi Geometra, et debilitatio per morbos magno ipsi fuit obstaculo in historia naturali colligenda. Vt vero verum fatear, maximo ipsi semper fuit et erit obstaculo penuria. Salario 300 imperial: levioris argenti fruitur, quod ibi vix sufficit ad domicilii mercedem solvendam, et nisi is Gubernatoris mensa vel aliena saltem frui potest, panem siccum comedere cogitur, id quod semper fit, si is, excursionem quadam herbatim aut insectatim facta, non justo tempore domum redit. Sæpius is domum attulit e. g. Eremitam sesquipedalis longitudinis, pisces insolitos vel rariores, aves p. p. ad eos conservandos. Sed fame coactus eosdem ollæ immittere debuit, et ventriculo

¹⁾ Indtil dette Sted foreligger Brevet kun i Copi; Grunden til at den første Deel af det originale Brev savnes, fremgaaer af Brevets Slutning.

tradere. Quid juvenem excitare posset ad eiusmodi miseriam ferendam, quam evitare potest, domi remanendo et mensam gubernatoris, qui ipsum magnopere amat, visitando? Interim is tamen 800 collegit genera vegetabilium in ista insula germinantium, inter quæ 200 nondum descripta sunt. Priora 50 genera primo anno descripta et ad me transmissa tradere debui Præfecto cameræ redituum, vnde salarium eius solvitur, et vnde officium eius dependet. Ab hoc, semper occupato, numquam in meas manus redigere potui herbarium vivum &c. Optarem serio, vt generosius ipsi stipendium procurare possem, ad sumtus in eiusmodi studio melius ferendos. Si quis Magnatum Vestrorum eum suis sumtibus sed generosioribus tenere vellet, is sane libenter præsentis suo officio abdicaret, seque totum Illi traderet omnemque fructum studiorum suorum. Is paratissimus est ad quasvis peregrinationes suscipiendas, immo tot morbis superatis etiam aptissimus. Tamquam medicus (est medicinæ licentiatus) coloniam vicinam Hispanorum visitavit et admodum exoptat occasionem provincias mexicanas visitandi. In describendis plantis ad gustum Tuum peritissimus est. Posses tum ipsum sub Tua directione mittere quorsum placeret. Hic pro eodem, tamquam extraneo, vix ulla spes mihi videtur adesse eius statum meliorandi. Cum hic optimæ spei juvenis anno 1756 hic commoraretur, patrimonium suum non exiguum bello tum incipiente Lipsiæ peribat, adeoque is tum momento ex divite pauperrimus factus eam stationem tamquam divinam sortem ambabus accipere debebat, quam ego ipsi ægerrime comparabam, quam neque obtinisset, si invidentes vel rivales eius stationis adfuissent. Præcedenti anno transmissa naturalia et scripta omnia propter deductas a prædatoribus naves in anglicanas portus ibique detentas perierunt. Inter reliqua stirps altissima sacchariferæ arundinis florentis, arboris instar, dolio implantata, dolenda est. Conchyliæ quædam pretiosissima naufragio ad portum Norvagicum perierunt. Alio naufragio ad insulas Hetland Adansonii conchyliologia Senegalliæ, quam D^o de Rohr transmiseram, is vero deinde remiserat, conchyliorum esca facta est. Jam de eo agitur, ut alium juvenem tam-

quam medicum promoveam ad oras malabaricas et insulas nicobaricas (hodie nove Daniæ dictas) (vid. Dampier) visitandas, cum novus gubernator, mihi amicissimus, eo mittitur. Sed optarem ipsi simul mille imperialium salarium, vt in vnice se historiæ naturali dicare possit, minus vero de pane per medicinam lucrando sollicitus esse debeat. Sed vanum votum.

Historiæ naturalis Islandiæ olim quidem curam habebam. Postquam vero fatum operis Regenfussiani expertus eram, nolui amplius inutiliter tempus meum collocare in suscipiendis laboribus, pro quibus pretium nullum, et gratias et honorem mereri admodum incertum et fallax est, vbi adprobatio a tot capitibus, non semper amicis, dependet, et vbi honor non in laborantem sed in totam societatem redundat. Hoc tamen novi et in memoriam revocare possum, Floram islandicam minus esse absolutam quam Faunam et Plutonem. Visum mihi est, quasi collectores non ausi fuerint plantam quandam herbario inserere, cuius nomen ipsis fuit incognitum. Idem fere vitium reprehendere debui in D^o de Rohr, jam vero excussi istum inanem et noxium pudorem. Plantæ Islandiæ descriptæ, quantum memini, potissimum erant gramina.

Proximis navibus Americam petentibus curabo, vt D. de Rohr novam copiam suarum naturalium descriptarum vel collectarum, loco illarum, quæ perierunt, transmittat, et si hoc in duplo fieri poterit, non morabor eandem Tecum communicare, minusque notarum præcipue plantarum nomina a Te expetere.

Sex vel septem anni præterierunt, ex quo academia quædam artium, pictoriæ scil. chalcographicæ, sculptoriæ &c. in Hafnia nostra in castro Charlottenburg stabilita florere coepit. Huius Tutor et Patronus est Dm. Oberhofmarschallus, Comes de Moltke, idem ille, cuius superius mentionem feci; (cum Vniversitatis nostræ Patronus sit Comes de Holstein). Illa academia vt magis corrivalis fiat Vniversitatis, decretum est studium quoque physicum, chemicum, historiæ naturalis, &c. illi adjungere. Hunc in finem ambo Tui olim auditores, D. Ascanius et D. Holmius munus Professoris acceperunt,

ille historiæ naturalis, hic Oeconomïæ. D. Holmius hunc in finem salario 700—900 imperialium suffultus, peregrinationes per Germaniam, Hollandiam, Angliam &c. instituet, vt sibi campum oeconomicum familiarem reddat. D. Ascanius vero hîc restabit, et prælectiones publicas habere obligatus est. Salarium eius est, quantum scio, 3 vel 400 imperialium.

D. Widemann jam Göttingæ studia sua prosequitur.

D. de Rohr retulit: duos jam Candidatos Americam pererrare, ab Imperatore Germaniæ, Francisco, eo missos et generoso stipendio suffultos, vt omnia curiosa in tribus regnis naturæ ibi obvenientia colligant, exquirant, coëmant et transmittant; in quo negotio propter pecuniam paratissimam non infelicem successum eos habuisse, fatetur. Idem de Rohr litterarum commercium habuit cum alio Naturalista, Gallo, in insula St. Domingo commorante, qui sumtibus vel Regis vel privatorum quorundam Galliæ suffultus quotannis ingentes cistas naturalibus repletas ad Galliam transmisit. Apud Ipsum vero valet: deficiente pecu — deficit omne — nia.

De tomo I. operis Tui ad me transmisso addere Tibi placuit: Vtinam ille non nimis displicuerit. Ah! quantum abest a displicere! Invideo Tibi potius indefessam Tuam constantiam, quam in tanto labore adornando adhibuisti et adhibere vales. Ego sane, quantocumque etiam amore in studium naturæ feror, illam indefessam constantiam imitari non amplius valeo. Valerem id forsân, nisi umquam — » — commoratus fuissem et si continua sedes in patria mihi decreta fuisset. Sed persecutiones, quas ibi (non raro diligentïæ meæ caussa) passus sum, et frequens objectio panis peregrini, quo, non me, sed deo ita volente, vesci debeo, me ita frigidum reddiderunt, et studium meum honoris scriptis adquirendi, ita mitigarunt, vt vix, nisi coactus, a me impetrare possim, vt manus calamum ad scriptum aliquod adornandum adprehendat. Oh Te multum felicior in Patria Tua! Illa Te alit non solum sine objectione panis comesti, sed Te quoque suum decus habet, Teque superbit: ego vero, si mediocria enitor et præfero, intactus excedo, talia enim neminis invidiam movent. Si vero diligentius aliquod elabora-

tum, si vtile et novum quoddam inventum profero, invehor, et tot mihi inimicos contraho, quot dolent, se ipsos illud inventum non produxisse, vel saltem æquipollens aliquod, quo cum extraneo æquilibrium conservare possint.

Hæc scripseram autumnò anni præcedentis, 1759. Irritus tum plurimis novis laboribus plane impeditus fui de transmittendis hisce litteris cum textu conchyliologico curam habere. Habemus hîc enim illud incommodi, abhinc ad Helsingör non nisi tabellarium pedestrem ire et redire, vnde adeo in loco expeditionis eius nunquam litteræ cum majoribus involucris (Paquets) recipiuntur, quantum etiam pretium offeratur. Hinc transmissionem ad hunc vsque diem, alia occasione deficiente differre debui.

D. Holmius Tuus et noster interea, exeunte anno præcedenti, loco itineris oeconomici suscipiendi æterna petiit, quod fatum mente quisque dolet. Juvenem supra memoratum, nomine Flohr, Bergensem, exeunte Novembri a. p. ad oras malabaricas ablegavi. Officium ipsius, quapropter stipendium accipit, est: Inspector monetarius in vrbe Trankenbar. Chemiæ enim non parum peritus erat. Qualia is in historia naturali præstiturus sit, tempus docebit.

Fratrem conjugis meæ, M. Hagen, qui jam Botanicæ gratia Upsaliæ commoratur, magnopere Tibi commendo.

Licet historiam fati mei cum opere Regenfussiano non Te ignorare voluerim, tamen Te etiam atque etiam rogo, vt saltem priores duas paginas, quæ mihi possent, si quocunque fato in alterius manus venirent, novas turbas facere, vel immediate ad me remittas, vel eas sigillatas Fratri meo tradas, occasione remittendas¹⁾. Vale denique, diuque vegeto. Vale, meque propter longam taciturnitatem amicitia Tuæ indignum non habe. Dab. Havniæ. d. 22 Maji. 1760.

1) Denne Anmodning sees Linné at have efterkommet; de to første Sider af Brevet foreligge nemlig kun i en Afskrift, aabenbart med en samtidig Haand, som dog ikke er Linnés.

(29) Generosissimo Equiti
 Experientissimoque Archiatro
 Carolo Linnæo
 M. P. F.

Kratzenstein.

Antehac in rebus scientificis dulcissimo Tecum litterarum commercio uti mihi licuit. Liceat mihi jam aliqua vice, in oeconomicis rebus fraterculi mei Upsaliensis, paternam Tuam intercessionem vel mediationem erogare. Curator bonorum ipsius una mecum omnino ipsi maxime proficuum fore judicavit, si is fructuosissimis Tuis doctrinis per aliquod tempus imbui possit & paullo ultra vulgus pharmaceutarum sapere discat; nosque ambo illam pecuniam tamquam optime collocatam consideramus, quæ ad scientiam ipsius perficiendam impenditur. Sed quis expectasset a juvene, quantum ad externam formam non dissoluto, illum adeo prodigum fore, ut, licet honoraria Professoribus debita nondum exsoluta fuerint, ille tamen superinduxerit æs alienum 300 propemodum imperialium danicorum. Non ignotum Tibi erit, Vir generosissime, curatores bonorum ex officio eo respicere debere, ne plus pecuniæ profundatur a curando, quam annui redditus ex patrimonio hoc ferunt; eumque cavere debere, ne præter summam necessitatem de capitali summa aliquid detrahatur. Accedentibus vero denuo desideratis 300 imperialibus ad priorem acceptam summam, fraterculus meus annuo spatio proportionalem summam 444 imperialibus danicis non minorem profudit, quæ portio sane ejus annuos redditus multum transcendit. Non audemus adeoque hanc denuo ab ipso desideratam summam illi ipsi transmittere, ne denuo eadem profundatur; sed Te, Vir generosissime, humanissime rogamus, ut in hoc casu paternum officium, fraterculo meo præstare velis; scilicet: ut ex eo exquiras specificationem æris alieni ab ipso contracti: ut jubeas ipsum, ut sine mora abitum paret: ut cautionem de ipsius ære alieno jam tum contracto (non vero denuo contrahendo) in Te benevole suscipias: ut denique de summa ad Te una cum hisce litteris transmissa ipsi tantum

tradas, quantum iter usque ad Carlscroniam prosequendum exigere Tibi videtur, neque hoc citius, nisi cum is ultimum vale dicturus est. Post abitum ejus debita ejus, quantum transmissa summa pecuniæ sufficit, benevole creditoribus exsolvas, testificationes solutæ pecuniæ recipias, nobisque cum specificatione residui æris alieni transmittas, qua accepta hoc residuum Tibi sine ulla mora transmittendum curabimus, de qua re in meam fidem poteris esse certissimus, licet cæteroque litterati inter se non soleant eam fidem, quæ inter mercatores obtinet, in rebus ad pecuniam spectantibus, habere.

En specificationem æris alieni, quam noster nobiscum communicavit!

Hrn. Peter Christoph. Schultze in Stockholm 900 rl. R. M.

Hrn. de Besche 600 —

Hrn. Mangor 600 —

pro Cibo 200 —

Honoraria

Hrn. Ritter Linnæo circa 300 —

Hrn. Prof. Wallerio circa 300 —

Num vero pecunia a primo nominatis creditoribus tanta sit mutua accepta, quanta ea traditur, vix credimus. Rogamus Te adeoque, ut e. g. ex Dm. Mangor, qui circa Te quotidie versatur, sine fratris mei præscientia, statum huius rei scisciteris, et ad ejus relationem examen Tuum accommodes.

Agnosco quidem, nos Tibi hoc negotio, præterea gravius occupato, novum onus imponere. Cum vero nemo Upsaliæ nobis præterea sit notus, qui illud in se suscipere posset, Tua, qua auditores Tuos prosequi soles, paterna affectio unicuique nobis relictum est refugium.

De Troglodytibus Javanensibus curam habiturus sum ut noster medicus Trankenbaricus, D. Flohr, auditor olim meus, ad nutum Tuum examen huius speciei apud Javanenses, eò non raro venientes, instituat; sed dubito aliquid certi satis inde colligendum fore.

Ardor noster pristinus in historia naturali excolenda maximam partem refrigeratus est. Hoc semestri primum destiti in illa publice prælegenda & præter pauculas prælec-

tiones, quas D. Ascanius ad academiam Charlottenburgensẽm in mineralogiam habet, nihil superest. Uraniam jam præter immediata mea studia colere coepi. Hinc imposterum nostrates non nisi apud Te & prima & ultima elementa huius doctrinæ capere poterunt, utque longe diuque adhuc hujus doctrinæ disseminationi publicæ inservire vegetus atque incolumis valeas, ex animo opto, meque sempiterno favori Tuo & amicitin commendo. Vale. Dabam Havnin d. 26 Octobris. 1761. ¹⁾)

(30) Generosissime Eques,

Quoniam ex ultimis Tuis ad me datis litteris intellexi, molestum Tibi esse illud negotium amicum, quod nuper Tibi demandare ausus fui; suasi Curatori bonorum Dⁱ Hagen, ut ille aliam viam quæreret ad negotium illud absolvendum sine ulteriore opera Tua. Invenio jam remedio, quo minus D. Hagen prodigalitatẽm suam ulterius continuare possit sine præsentissimo suo damno, hisce litteris Te rogo, ut Tu acceptis 3333 th. c. retinens honorarium pro collegio privatissimo Tibi debitum nec non impensas epistolares, reliquum vero simpliciter tradas in manus ipsius D. Hagen, cujus propriæ curæ jam nos exsolutionem æris alieni sui demandabimus, isque schedula solita acceptam illam a Te pecuniam fatebitur.

Nisi omnia me fallunt, Vir generosissime, non parum in ultimis litteris Tuis stilus ille olim adeo amicus Tuus, cui me adsuefecisti, deficere videtur. Si rationem divinare licet, duplex talis esse poterit. Vel indigne fers, me nimis audacter negotium aliquod Tibi demandasse, quod infra dignitatem Tuam esse censes. Si hæc est Tua ratio: veniam ejus audaciæ rogo. Nihil tamen feci, quod non fit quotidie in academiis germanicis & nostrate, ubi satis frequenter summi Professores, quorum nonnulli consilarii intimi dignitatem ha-

¹⁾) Paa Brevets Fod er skrevet en Anviisning paa Pengene, undertegnet »Willebrand«.

bent, tamen totam curam gerunt pecuniæ unius vel alterius academici studiosi, a parentibus ipsis demandatam, præcipue si studiosus privatissimus fuerit Professoris auditor. Si adeoque in hac re peccavi, peccavi ex ignorantia, hoc non etiam in vestra academia esse solitum.

Altera vero ratio, quam probabilius obtinere credo, in relatione quadam erit quærenda, quam procul dubio Arabiam missus Prof. Forskål vel ejus contubernalis olim, Falck Tibi rescripserunt, de controversia et rixa scilicet quadam acerrima, quæ inter me et dictum Forskål exeunte anno præcedente Tui gratia intercessit. Novi malitiosam huius rixæ expositionem, quam Forskål in hac urbe disseminavit, quam adeoque nec Te latere posse, non sine ratione judico. Nihil tamen feci in hac controversia, nisi quod Tu in meo loco constitutus ipse fecisses. En factum! D. Forskål desiderabat, ut ipsi Falkius tamquam socius adjungeretur. Aula regia desiderabat vero aliquem ex danica natione adjungendum. D. Ascanius proponebat Doct. Cramerum, per sex annos meum in Hist. natural. assiduam auditorem, me licet hoc ipsi dissuadente. Forskålus acerrime urgebat suum Falkium, qui tamen apud omnes, quos conveniebat, rusticum agebat. Et fere injuriosus in Regem fiebat Forskålus, postquam omnis spes de Falkio erat sublata & Cramerus receptus. Quoniam Cramerus meus non solum auditor sed & amanuensis fuerat, Forskålus apud omnes, quos conveniebat, aulicos Ministros aliosque sine ulla hæsitatione aperte profitebatur: Kratzensteinium non eum esse virum, qui posset alicui auditorum suorum eam historiæ naturalis cognitionem instillare, ut is inde subjectum aliquod regni naturæ describere vel caracterizare queat. Uno verbo, unicum esse Linnæum, qui hoc artificium auditores suos docere queat. Mirum tamen hoc erat judicium, cum is nunquam antea occasionem habuerit vel tantillum cognoscendi, num ego in illa scientia vel magnam vel exiguam cognitionem habuerim. Advenam illum tamquam & amicum & discipulum Tuum summa qua potui amicitia excepi, curam ejus dissertationis polemicæ imprimendæ partem in me suscepi; apparatus, quem ad expedi-

tionem suam desiderabat & quem ille ipse partim nequidem noverat, a dexteris a me usitatis operariis fieri curavi, meis propriis negotiis interea neglectis (per 8 dies suspendebam eius rei gratia mea collegia). Et talis mihi inde resultabat gratiarum actio, tale mei iudicium, idque ab homine, qui sane eius censuræ compos non erat. Cum enim prima vice illum in musæum meum rerum naturalium introduxissem, miserimum eum esse hospitem in rebus naturalibus cognoscendis in limine statim deprehendebam. In Bernhardo Eremita singularem testæ configurationem et investituram adesse fingebat, qui tamen parasita testæ vulgo est suæ, & dubium admodum sit num a nativitate ipsis testula quædam adhæreat. Pyritem aurei coloris pro pretiosa minera aurea habebat. Unde ego quidem, ne illum ad erubescendum redigerem, plane silebam. De eius adeoque dexteritate in describendis subjectis naturalibus numquam curiosus fui specimen aliquod conspiciendi. Ejusmodi vix Tyro Naturalista habendus me ita iudicaret & calumniaretur? De calumniis semper aliquid hæret. Conticui tamen eiusque calumnias despicatui habui. Silui adhuc tum de eius propria ignorantia. Denique ille me ipsum denuo brevi tempore ante abitum conveniebat. Quia durum mihi est naturalem meam humanitatem exuere, amicissime eum nihilominus excipiebam. Sed ille truculentam & ita exacerbantem faciem monstrabat. (Habebat me enim semper pro autore recepti Crameri & rejecti inde Falkii, qui tamen, quod per deum testor, ille plane non eram.) Missis tum præambulis ille tanta jurgia in me evomere incipiebat, ut ego fere credidissem eum delirare vel mentis compotem non esse. Regerebam: illa jurgia & convicia non pertinere ad me sed ad Ascanium, autorem eius rei, eique illa esse indicanda. Me ceterum plane non esse adsuetum eiusmodi conversationis modo. Ille nec dum desistebat. Patientia tum denique et apud me deficiebat. Obloquor tum: Qui Tu poteris ita in propria mea domo me innocentem insultare, cum ego Te tamen potius castigare debeam propter calumnias de me apud aulicos et in urbe disseminatas? Numne scis, Te in ea re egisse contra jusjurandum Tuum, quod Te obstringit,

utpote Professore, honorem membrorum Universitatis promovere, non calumniis maculare! Tum ille: Oh! mi Professor! Sane Tu non indigne ferre poteris, si Te Linnæo multo inferiori esse publice profiteri, nam hoc tibi non esse poterit ignominia. En delicatam epocham! Minime gentium! ego repero, hic in academia Havniensi non opus est, ut Linnæus, exterus, in meam humiliationem & despiciatam extollatur. Hic, ubi non Linnæus, sed ego historiam naturalem doceo, opus est, ut studiosi nostri ne quidem suspicionem accipiant, me ineptum esse ad illam scientiam tradendam. Num ego animo meo præcellentiam Linnæo tribuere velim, hoc mihi relinquendum est, sed publice officium meum a me exigit, ut nemini, in doctrinis docendis mihi demandatis, dexteritate loco cedere videar. Et Tu maxime non eris iudex huic rei competens, qui maxime ignoras, quid sciam & quid ignorem! Tum ille: Oh, ne male feras, si dicam, Te esse pigmæum respectu Linnæi. Surgo sella longa, qua cum ipso residebam, ne cogerer aliam ipsi infligere. Respondeo: Ita! sim pigmæus, sed pigmæus, qui humeris Linnæi insistit. Accedebant tum alii itineris socii. Rixam tum ille in Cramerum dirigebat. Ego vero monebam, ne cum delirante, qui demens mihi in propria domo mea insultare non dubitaret, amplius rem haberent. Referebam omnia Ministro aulico, directionem habenti, et parum aberat, quin rejectus tum ipse fuisset. Inde eius furor in me, adhuc jam Constantinopoli in Cramerum sæviens.

Ponas Te jam in meum locum, & cogites, quid Tu in tali casu egisses & dixisses. Et si tum adhuc iudicas, Te jure in me irasci posse, hoc Tuo iudicio relinquere debeo. Ille quidem Forskål disseminavit, quasi ille non nisi defendendo Linnæum talia despiciosa verba opposuerit; quasi ego quidem autor rixæ & insultans Linnæum ad defensionem eius provocassem; Cum tamen ne quidem de defensione mea contra ipsius iniquas comparationes & calumnias cogitassem, nisi is demens me maxime coram irritasset. Sentiatur enim quisque de Tua præcellentia et mea ineptitudine in H. N. quicquid ipsi placuerit; hoc liberum esto. Nemo tamen hoc bene ferre cogitur, si quis talem humiliationem mihi in faciem

obloquitur, vel in urbe disseminat. Ne credas me aliquid reticere velle, circa rixam illam, quam forsan ipse Forskål transscripsit, en aliam eius partem, alio die peractam! Cum semper Forskål suam præcellentiam, tamquam Linnæi discipulus, præ me extollere & mihi tacite quasi comprobare studeret, quondam ille defendebat (sine occasione sibi data) neminem nisi Linnæi discipulum intelligere posse characteres rerum naturalium in systemate Tuo traditos (quasi illi non ab aliis quoque aliis verbis tradi possent!). Ego regero: quidni? si Linnæus autores citat, ubi eadem res aliis verbis immo figuris præfiguratur, & si quis ipse illa subjecta possidet, quare non intelligeretur eius descriptio? e. g. si Is antennas mordellæ appellat filiformes & cerambycis setaceas, tum statim ex considerata utriusque figura scio, qualis idea cum illis terminis sit jungenda, & si mihi hoc placuerit, potero semper iisdem terminis ad Linnæi sententiam uti. Ille proponebat exemplum: quid intelligatur per cochleam rostro vel canaliculo effuso? Respondeo: procul dubio illum terminum metaphorice esse intelligendum pro porrecto (ausgeschweift) (loquebamur germanice); nam eam esse effusi significationem. Sed ille: falleris maxime! naso aduncum regerebat, designat enim ille character cochleam, cuius rostrum vel canaliculus aquam infusam sub situ orificii horizontali effundit. Itane! ego regero, nec propter eius nasum aduncum monstratum poteram cohibere: In tali casu sane honori mihi duco, me non intellexisse sensum characteris illius. Nam hoc ad genuinum idioma latinum grammaticè exprimentum fuisset: canaliculo effundente (non effuso) scilicet aquam. Erubescerat ille ea vice. Malo Te scire rixas nostras integras, quam ab Forskålio malitiose corruptas, Tuoque tum iudicio relinquam, num hoc, ex ita lacessito me, male suscipere velis responsum.

Ne adeo serio finiam, accipe anecdoton aliquod jucundissimum ad historiam natur. pertinens. Nuper D. Ascanius & Rolander in musæo D. Oberhofmarschalli, Moltke, mira curiositate perlustrabant caput ingens Testudinis (non majus tamen vitulino). Manuolvebant Tuum Systema N. & ad eius

indiciū habebant illud pro capite balænæ. Illi ambo! Præfectus domi & musæi, audiens hoc, mirabatur hoc nomen novum, & ipse non satis peritus, accedebat ad alium præsentem, sed in alio angulo musæi stantem, peritiorem in H. N. scil. Spenglerum, tornatorem aulicum, inquires: rogo dicas mihi sincere, num illud caput balænæ, quod semper pro capite Testudinis habui, sit tale necne. Spenglerus subridens accedebat ad ambos, quærens, quid novi ibi? Oh! respondebant ambo, jam habemus hîc! jam habemus! (sc. characterem in Tuo Syst. N) est caput balænæ! Caput balænæ? quærit tornator, num in Linnæo character balænæ capiti Testudinis poterit convenire? hoc non crederem. Ita sane! illi respondent; revera illud caput est caput balænæ, et persistebant in sua sententia usque ad diem tertium, ubi ambo tornatorem convenientes conspiciebant caput simile testæ testudinariæ adhuc adnexum. Et ita fallebatur Professor historiæ naturalis ad castrum charlottenburgense¹⁾ simul cum illo qui mare americanum historiæ naturalis gratia transnavigavit, alter vero, qui Galliam, Italiam, Sueciam &c. solummodo H. N. gratia pererravit & unice se huic studio tradidit. Licet ego illud studium non nisi tamquam secundarium colam et colere possim, sane tamen neque meus Cramerus eius erroris capax fuisset. Nos ipsi præparavimus olim & ego adhuc adservo partes sceleti balænæ. Homines sumus tamen omnes, & nihil humani a nobis alienum esse putemus. Vale.

Tuus ex asse

Havniæ. d. 25 Nov. 1761.

C. G. Kratzenstein.

¹⁾ qui semper invehit in alios verbis: Oh! quid vos vidistis? ego vero &c.

Christen Friis Rottbøll

f. 1727. d. 1797.

(31) Amplissimo et Perillustri
 Archiatro atque Equiti C. Linnæo
 S: P: D:

Christianus Friis Rottbøll

Patriam vidi, nec prius vidi, quam Tui memor D^{num} Kratzensteinium adii comperturus, an jam dudum a Te desideratas misisset tabulas, regessit ille aliquo abhinc tempore esse missas et quidem cum Concionatore Vestræ aulicæ, qui Holmiam tendens, cum non recta iter institueret suum, sed Gothoburgum prius adiret, inde, si ibi forte diutius hæreret, Upsaliam commissas sibi tabulas transmittere est pollicitus, speramus adeoque te eas jam jam tenere. Nuper D. Justi Goettinga huc vocatus est, incertum equidem utrum spartam Professoris Oeconomici vel Præfecti argentifodinarum Regis montanarum obtineat, ultimum tamen verosimilius judicatur. Gratias tibi quam maximas ago, majores debeo pro tot insoliti favoris argumentis, quibus me vobiscum habitantem cumulasti; ut duos ornatissimum Lyceum vestrum salutaturos studiosos benigne, quæ tua est humanitas, excipere digneris, rogo. Veniunt avida mente ex ore tuo mellifluo præcepta haurire, certissime sum persuasus, te ipsorum expleturum desideria. D^{num} Solandrum honestissimum hominem svavissimum amicum, cui per studiosos, qui paucis ante diebus abiire, scripsi, nec non experientissimum D^{num} Holmium Fagræum Bergmannum cæterosque commilitones et amicos meo nomine salutes, precor. Ut rebus nostris bene consulas, ut me Tuis annumerare pergas confido. Summa votorum est Tua salus et sera immortalitas indeflexaque ætas. Vale.

Hauniæ IV Calend: 7^{bris} A^o MDCCLVII

A Monsieur Mons^r Charles Linnaeus Chevalier et Archiater a Upsala Franco Elsingeur

(32) Illustrissimo de Linnee
S: P: D:
Christianus Friis Rottbøll.

Mitto hic programma ad lectiones botanicas et excursions in campis nostratibus indicandas; qva occasione meditationes meas de contortis in lucem edidi; etsi mentem meam ex iconibus et explicatione latina Te aliquatenus percepturam credam, optarem ut textum ipsum danicum a § 18 ad finem vel ipse legeres, vel per alium lingvæ nostræ expertum expositum haberes. Præcipua Capita huc redeunt § 18—22, monstrant plantas contortas pro Monogynis habitas quoad maximam partem esse digynas, stylis vel manifeste distinctis, vel agglutinatis et concretis¹⁾ Dabam die 13 Junii 1771.

(33) Viro Generosissimo amplissimo
Carolo de Linné
S pl: d:
Christianus Friis Rottbøll.

Ex animo lætor, quod labores meos de contortis tuo dignari velis examine, non tamen opus est, ut ætatis tempus expectes, cum sicci flores in hoc ordine recentibus præstant fere ad indagandam naturam genitalium. *Asclepias syriaca* et *Curassavica* optimum hujus generis characterem monstrant in floribus per longam annorum seriem siccatis . . .²⁾ Post ultimas tuas litteras multa mihi acciderunt acerba, perdi uxorem amabilissimam, qvæ jam altera fuit et mihi reliquit filiolam — Omnia ruinam et interitum minabantur sub tyrannico Comitum de Struensee ministerio. Illo jam in catenis cum sociis detento, animus et vigor cunctis redit, et unusquis-

¹⁾ Resten af Brevet angaaer kun Bestemmelser af Planter og andre botaniske Specialia.

²⁾ Om Sendinger af Planter og Frø.

que nostrum in sua statione certus est. Si jam in pristinum litteras mittis, ad respondendum me habebis promptiorem. Vale et me meumque agellum amare perge.

Hafn: d 15 Febr: 1772

a Monsieur Mons^r Charles de Linné Chevalier de Pétoile de Nord. Professeur en Médecine et Secrétaire de l'Académie des sciences a Upsala. Fri Bref

(34) Vir Illustrissime

Post editum meum de Cyperis et affinibus opus me detinuit et adhuc detinet lecto maximam partem affixum sevrissimus morbus, nec spes reconvalescentiæ ulla, morbus in hepate sedem habere videtur, Corpus est emaciatum, nervosum systema debilitatum, mors certa et inevitabilis videtur. Hinc de genere, quod nomen portaret meum, minus sollicitus esse debere . . . ¹⁾ Felicissimum annum apprecor, vive felix et sospes cum tota familia. Dedi die decembris 31. 1774.

Rottbøll.

(35)* Velbaarne Hr. Professor!

Det er mig uendelig kiert, at fornye med Hr. Professoren det Venskab, som for saa mange Aar siden i Upsala blev begynt, og skal det være mig meget kiert i alt hvad staaer i min Formue at gaae Professoren til haande. Min lange Sygdom og Forflytning har giort, at jeg ikke haver mine Sager saaledes paa reede Hænder, at jeg strax kan finde dem og dette er aarsag i at det saa længe har varet, inden jeg haver kundet tilsende Dem den forlangte Fuirena — Da jeg har kuns eet eneste exemplar af samme, og de fleeste sqvamæ have været affaldne, kan jeg ikke sende fleere. Paa de allerfleeste blomster er stylus obtusus og integer; dog

¹⁾ Det Øvrige af dette 4 Quartsider lange Brev handler alene om Bestemmelser af Planter.

tvivler jeg ej om, at jo er funden en stylus som kan have været bifidus. Stamina eller filamenta falde let af naar sqvamæ afløses. Tiden tillader mig ikke nu at opsøge mine Mss om jeg skulde have nogen nye bemærkelse angaaende Græs-Slegterne — jeg gratulerer til de nye forventede Urte-Samlinger men allermeest til Deres Antrædelse i Deres berømte Hr Faders Sted, og vilde Gud give Dem Lykke til Deres vigtige Post med ald Deres Hr Faders Iver at anføre. Botaniske Afhandlinger med Kobber antages uden Tvivl gierne i Vores Videnskabs Samlinger. Man maatte vide paa hvad Vilkaar Hr Professor vil overlade sin Hr Faders Mantissa, saa kunde her maaskee findes en Forlægger. Jeg har den Ære med megen høiyagtelse at henleve

Deres Velbaarenheds

Kiøbenhavn d. 24 Januarj
1778.

ærbødigste Tienere
F. Rottbøll.

A la Societe litteraire d'Upsal pour Mons. de Linné a
Upsala Fri Bref

Johan Jakob Ferber.

(36) Hamborg d. 1. Jan. 1759. — Med vetenskaperna står det i mitt tycke rätt slätt till i Danmark. Konsterne såsom Målerij, Bildhuggeri &c upptaga regeringens hela attention. Grefve Moltke, som är Kungens favorit, har tycke för dem; derföre få de allt; men som Moltken i vetenskaperna skall vara nog främmande så är deres öde der i landet rätt oblidt. Doctor Holm har haft moyen at introducera sig hos Grefve Moltke så att han, medan jag var i Köpenhamn, gjorde en resa med unga Grefve Moltke. Man får nu se hvad Holmen kan uträtta till Botanikens upkomst.

Morten Thrane Brünnich

f. 1737. d. 1827.

(37) Domino Perillustri
Experientissimo Celeberrimo.

Progressum meum, si quem fecerim, in historia naturali scriptis Tuis, per orbem terrarum nunquam satis laudandis, maxime debeo, adeò ut Te, Vir Perillustris, licet absentem, meum gratò animò agnoscam Ductorem: Permitte itaque, ut huncce Prodromum insectologiæ Siællandicæ, tanquam primitias laborum meorum, Tibi offeram; accipe propitius hoc quaecunque deuotæ mentis munus. Exempla exstant euentissima fauoris Tui etiam in exteros, inprimis septentrionis filios, insignis, hinc Te potissimum, Vir Perillustris, humillime rogo, ut me in eorum adsciscere velis numerum, quos pateris ad Te tanquam optimum Mæcenatem accedere.

Tanti Nominis

Hafniæ

Cultor observantissimus

d. 25 Aprilis Anno 1761.

Martinus Thrane Brünniche

a Monsieur Mons^r Charles Linnæus Chevalier de Nordstierne Archiatre de Sa Majesté le Roi de Suède etc.; Professeur à l'Academie d'Upsal, Membre des Societes des Sciences d'Upsal, de Stockholm, de Petersbourg, de Berlin, de Vienne, de Londres, de Montpellier, de Thoulouse, de Florence.

(38) Perillustri et Generoso Viro
S:!

Duos abhinc annos oculis Tuis subicere sustinui ea, quæ imperfecte de Insectis Siællandicis tunc ex meis proferre valui, quæ benignis et fauentibus oculis Te exceperis, saltem accepisse mihi gratulor. Eodem Tuo fretus favore novum offero specimen, tractans historiam Anatis mollissimæ. Appendix addita continet Objectiones viri cujusdam Reverendi, historiæ naturalis patriæ peritissimi, quas, utpote ms^{to} divulgatas, instinctu fautorum publice una cum meis responsionibus

edere curavi; hac eadem occasione ea quæ in appendice pag. 32. subsequuntur, à viro Illustri et Historiæ Naturalis cultore felicissimo ex Cimbria transmissa, nec non propria errata addidi. Restat jam, ut tam ipse Tractatus quam hæc Appendix Tuo æquo benignoque subjiciantur judicio. Errores, quos libenter confiteor bene multos, facile condonabis, si me autodidactum interpretibus destitutum consideraveris. Si vero quædam forsàn Tibi arrideant, sufficiat hoc pro magno incitamento in ejusmodi studiis, quæ ad cognitionem naturæ et ejus gazas perscrutandas ducunt.

Museum avium quod hisce ansam dedit, et cujus descriptio intra breve tempus prodibit, continet, inter alias aves ignotas vel dubias, veram Skuam Høyeri, Catarractem nempe Willughbeji, Raji & Sibbaldi, simulac Catarractam Aldrovandi: ex hisce avibus novum genus sub nomine Catarractis conficere tento, et ob rostri et unguium convenientiam Larum parasiticum ex genere larino in genus Catarractis transferre, si non satis audacter, meditatus sum. Observationes ex Vespertilione Vampyro oculari inspectione desumtæ heic Tuis sistuntur oculis. Hæc cum reliquis, si placent, plura amplius aggrediar, ut tali modo via ad Te Tuosque Lares semel aliquando mihi facilius pateat.

Hisce meis conatibus fave et Fautorem mihi, si votis respondeant fata, quondam præsentî, Te præsta, sic promoventur studia mea et me habebis semper

Hafniæ	Tanti Nominis
in Colleg. Elersiano	cultorem observantissimum
d. 1. Junii A° 1763.	M. Th. Brünniche

(39) Viro Generoso et Illustrissimo
Equiti Aurato

Occasionem hanc nactus optimam; Generosiss: Comitiss de Moltke iter ingredientis gratiosum officium in transportandis, quæ Tibi mittenda haberem, offero jam Tibi Vir Generose! meum in cognitione insectorum specimen, Ento-

mologiam nuperrime editam, quæ si Tibi arrideat, multum gaudebo. Insectis simul paucis, quæ nova puto, Tuum donatur museum, ut et avibus Feroensibus binis, Catharacta nempe sive Skua Høyeri et Puffino, Rev. Dno. Ström Liire vel Skraap dicto, quoad colores à Puffinis Brissonii diverso. Si hæc mea leviuscula accepta habeas, Vir Generose! magnum erit studiorum incitamentum

Generosi et Illustrissimi Nominis Tui

E domo Elersiana

d. 4. Maji 1764.

Cultori devotissimo

M. T. Brünnich

à Monsieur Mons^r Charles de Linné, Chevalier de l'ordre Nordstiernen, Médecin premier du Roi de Suède, Professeur de la Médecine et Botanique, Membre de l'Acad: d'Upsal, Stockholme etc. etc. à Upsale

Avec une casse marquée C. de L.

(40) Viro et Generoso et Perillustri

Equiti Carolo de Linné

M. Th. Brünnichius

S. P. D.

Entomologiam, tabulas insectorum systematicas sistentem, una cum ave Catharacta Skua et Puffino, nec non paucis mihi in duplo insectis ex Africa allatis, et quantum tunc temporis judicabam, nunquam descriptis per Generosissimum Comitem Adamum de Moltke iter navale ante binos menses ingredientem cum nave Regia, Petropolin, Rigam et denique Holmiam aditura, Tibi Vir Generose! obtuli. En aliud, Vir Generose! in historia naturali specimen, vena frigida, quippe media hyeme, in vasto avium museo elaboratum, quod si Tibi vel tantum ex parte arrideat, gaudebo, sin minus, ignoscas Vir Generose! me studium hoc propriis viribus et nullius consultis hactenus excoluisse. Ignotæ aves, quarum icones addere ob ingentes sumtus mihi haud fuit possibile, una cum aliis rarioribus a Per-illustri Professore D^{no} Pennant Esqr. sunt oblata. Nuperrime e Groenlandia Trin-

gam fulicariam et anatem acutam e Cimbria accepimus. Haud pauca mihi sunt hujus et aliarum regionum insecta hactenus nunquam descripta e. g. Cimices, Cerambyces, Lepturæ, Nectydalis et Dermestes Africani, si itaque descriptiones eorum, quæ plus unica vice nondum possideo, Tibi sufficiant, maxima cum industria ejusmodi, de quorum novitate certissimus sum, transmittam, iconemque, ubi tempus affuerit, pro viribus elaboratum, addam. Papilionem Heliconium, cum Comite transmissum, in Systemate Tuo postea vidi descriptum. Ceterum de me meisque studiis bene sentire perge, me autem semper invenies

Dabam Hafniæ
in Collegio Elersiano
d. 23. Julij 1764.

Tanti Nominis
cultorem observantissimum
M. Th. Brünnichius.

(41) Generoso et Perillustri
Equiti
Dno. Carolo von Linné
S. pl. d.

Martinus Thrane Brünnichius.

Literas quas dedisti haud exigui favoris documentum habeo; gratias maximas et debitas quam humillime offero; majores, si possem, deberem Tibi, Vir Generose! qui tam multis occupatissimus et tam vasta eruditione præclarus me tyronem in arte, Tuo perdocto et gratioso commercio literario dignari velles. Excepi maxima cum æstumatione dubia ea, quæ contra ornithologiam habes, eaque ita explicare tentatus sum: Pelecanus 120 et 122 differunt gula et macula insigni ante femora albis. Putarem hos esse diversos, carbo enim satis frequens, è contra phalacrocorax una cum cristato Rev. Dno Ström nequaquam visus, famâ autem tantum modo notus. Phalacrocoracem et cristatum possideo, quos Tibi offerrem, si occasio sese offenderet.

Pelec. 120 et 121 forsani variatio sexus? vix ætatis, hujus enim notam pono in pectore cinerascete vel nigro.

Skua 125 et 126 quod attinet, certior sum de earum differentia specifica, nam Feroë satis frequens est 125 et sæpius vidi plura ejus specimina, variis temporibus Hafniam missa, nunquam vero Skua 126 visa fuit antequam per amicum Dn. Hansen è Cimbria, ut avis Cimbris ignota, innotuit. Viva capiebatur manibus itinere quasi fessa. Prædium ubi capiebatur ad mare germanicum jacet, hinc puto eam forte ex Anglia advenam fuisse. Character distinctivus hujus, magnitudinem si exceperis, difficillime determinabatur.

Colymbus arcticus et *torquatus* magnitudine corporis et dorso rostri arcuato conveniunt, ætatis vix differentia, potius varietates sexus, nisi foeminam ab omnibus mihi visis differentem describeret Fauna Svecica. *Colymbi* 129—132 dorso rostri recto conveniunt, ex his *Imber* nunquam in Dania vel ad insulam Christiansøe visus fuit, sed et è Feroa et è Norvegia aliquoties missus; nec ubique in Norvegia obvius, sed maxime in parte boreali, ubi tamen haud frequens est. Magnitudine arcticum et torquatum superat: Hi omnibus vero minores sunt. *Lumme* avis arctica frequentissima, ad Hafniam semel tempore hiemali occisa; ad insulam Christiansøe nunquam visa (: nec arcticus, torquatus et *Immer*). Ibi verò frequens satis occurrit *Stellatus*, circa insulam nostram quoque interdum obvius. Forsan ætate hic differt à *Lumme* qui, ætate magis provecta, plagam forte amet septentrionalem et sic nostra deserat littora? Borealem heic unica vice occisum, ob vestigia rufi coloris in prona colli parte varietatem habeo *Colymbi Lumme*. Certiora heic forent optanda, antequam rite determinarentur species. Si quem horum colymborum possidere cupias, operam dabo eum acquirere. Appendicem ornithologiæ simul offero. Nuperrime è Groenlandia mittebatur *colymbi grylle* varietas, tota alba exceptis marginibus alarum nigris.

Omnia Tibi cum Comite oblata *Insecta* è littoribus Africanis Hispaniam spectantibus allata fuisse perhibuit vir quidam nobilis, qui ipse circa ista littora eis fuit donatus, interim ferè omnia vidi huc transmissa etiam ex America. *Acarus* solus patriam agnoscebat insulam Christiansøe. Ex meis

collectionibus pauca specimina heic offero, plura, quæ in duplo mihi non sunt, delineata et descripta mitto, quæ si Tibi arrideant, reliqua cum tempore dabo. Vidi hesterno die insecta ex America Dno. Spenglero oblata, inter quæ nonnulla haud antea descripta observavi, quæ selegi a reliquis, ut Tibi offerret possessor una cum conchis quibusdam rarioribus e: g: Donacem apertura inter nates transversa, semilunari, Bullam Lignariæ persimilem. Quæ omnia hac occasione spero fore, ut Tibi offerat. Conaminibus meis fave; me semper deprehendes

Tanti Nominis

observantissimum cultorem.

Dabam in Collegio Elersiano

d. 25. Octobris 1764.

P. S. Ignoscas Vir Generose! quæ ob angustiam temporis hac vice in scribendo irreperint vitia. Entomologiam meam valde castigatam invenies in actis Lipsiensibus, errores autem veri ibi sunt præteriti, falsi suscepti. Prodiit heic Fauna Friderichsdalina continens insecta ibi lecta una cum convenientia Systematum Tui et Dni. Geofroi. Insecta nova ibi descripta sunt 117, sed de plurimis dubitandum, citationes deprehendi falsas circa nova, nec convenientia Systematum accurata.

[I Brevet er indlagt et Exemplar af »Anhang til de Kjøbenhavnske Nye Tidender om Lærde Sager« Nr. 41, hvori findes Brünnichs Svar paa den i foregaaende Nr. efter »Leipziger Neue Zeitungen von gelehrten Sachen« Nr. LXXV, 1764 oversatte Kritik af Brünnichs Entomologie.]

(42) Viro Perillustri et Generoso

Equiti Dno Carolo von Linné

S. pl. d.

Mart: Thrane Brünnichius.

Literas Tuas favoris maximi insigne documentum rite accepi, pro quibus et omni Tanti Maecenatis favore atque

honore devotissimas, quas possum, exsolvo gratias. Semper enitar, ut mea exigua conamina nec prorsus indigna, quæ Tuis subjicientur oculis, judicentur. Hactenus in historia naturali citra ullum præmium occupatus fui discipulus tanti magistri. Præmium jam, Te nempe Fautorem, retuli. Faustum atque felicem annum jam inchoatum et omnes secuturos reddat Tibi Deus T. O. M! Augeat ille dies Tuos! qui semper ejus magis magisque manifestam reddidisti et amplius reddes gloriam, sic perficitur ista scientia, quæ tantis, Te Autore, incrementis flore jam gaudet ætatis. Mihi autem, ut in posterum faveas, obnixè rogo.

Literas Dno. Spenglero datas tradidi, ejus quoque feliciæ anni ineuntis vota Tibi refero, grates simulque maximas, pro omni, quo eum condecorasti, honore¹⁾

Fata Mss. et divitiarum, si ita jamjam vocari liceat, quas b. Forskål vita redemit, adhuc manent incerta. Adducta sunt ante aliquot annos collectanea hujus è mari mediterraneo et confinibus terris, imo nonnulla ex ipso Ægypto. Lætam hanc vidi messem, insigneque testimonium diligentissimi viri, cistulas nempe insectis repletas, avium nonnullarum exuvias farcitas, cados pisces, amphibia, conchas etc. in spiritu continententes, sed, proh dolor! fugitivis, ut ajunt, oculis, ita ut nulla sub examen à me revocari possent. Tradita jam sunt Dno Ascanio una cum paucis aliis de Arabia missis. Nescio, sed optandum foret, ut nè harum rerum inprimis piscium magna pars putredine et injuria temporis esset corrupta, et sic inanes evaderent labores. Reliqua, quæ supersunt, collecta, una cum diariis adhuc restant cum Dno Nieburg in portu Indiæ Bombay, unde literas hujus viri ultimas de morte Kramerii habuimus. Semel quoque a piratis spoliata sunt cistulæ de Societate transmissæ. Alia, quæ ad historiam naturalem non pertinent, transgredior. Inter Arabicas conchas maxime notari meretur cardium, quod mihi longo abhinc tempore monstrabat Dnus Spengler. Nemini scriptorum, quantum scio, est notum, ideoque descriptionem, qualem suppeditat

¹⁾ Om flere Arter Insekter og Conchylier.

memoria, dabo: C. testa cordata, angulata (alba) valvulis angulatis longitudinaliter abrupte sulcatis lævibus, plica ad nates conchæformi testam connectente. Nates an distantes an approximati non recordor. Ceterum magnitudine et statura accedit cardio medio. Plica non est monstrosa quod symmetria et dentium insertio docet. Figuram ejus videbis in Regenf. test. 2. cujus tabb. æneæ omnes nondum incisæ.

Formicam omnivoram solem quasi obnubilare ipse observavi in turre astronomico, ubi ingentem vidi catervam.

En Vir Generose! novæ mea conamina circa minutissima quædam testacea etc. Plura hoc occasione Tibi offerre me vetat iter consulis jam festinantis. Alia huc adiit læta insectorum collectio Americana in museum nobilis cujusdam mercatoris Hafniensis, forte eam intra paucos dies videre mihi contigerit. Nova quæ sint, natura vel figura et descriptione, si possibile est, Tibi communicabo. Plura de meis brevi dabo. Quæ ad manus sunt mitto. Ejusmodi sunt seqq.¹⁾ Abiit Islandiam stipendio Regio Dnus König, ut vegetabilia et alia indagaret. Nonnulla misit ad regnum lapideum maxime pertinentia. Quæ in annexis observationibus meis descripsi testacea maris Norvegici, missa mihi sunt à Rev. Dno Ström, ut eorum ipsi communicarem descriptiones. Ignoscas Vir Generose! qui in descriptionibus sint commissi errores. Vale.

Dabam in domo Elersiana d. 3 Januarii 1765.

P. S. Abiit Consul Dnus Koustrup, qui scatulam C. v. L. notatam secum habet et Tibi prima occasione transmittere curabit. Epistolam hanc itaque Nuncio publico dare coactus sum
Vale.

[Med Brevet følge Diagnoser paa Fugle, Fiske, Bløddyr, Koraller og Insekter; ved en Deel af de sidste hedder det: »In Museo Ryberg«, og mange af dem ere gjorte kjendelige ved Pennetegninger.]

1) Diagnoser paa nogle Insekter.

(43) Viro Perillustri et Generoso
Equiti aurato

Dno. Carolo von Linné
Fautori Optimo
S. P. D.

Mart. Thr. Brännichius.

En, Vir Generose! lætæ messis Americanæ decimas quasdam Tibi quam modestissime oblatas. Plures restant vel jam descriptæ vel amplius determinandæ. Museum Reginae Svec. nondum vidi, ideoque facile inter meas novas species invenies, quæ jamjam ibi descriptæ sint. Brownii Jamaicam intra breve tempus accipio, unde recognoscam, quæ forte ibi antea delineata sunt insecta. Te annuente, Vir Generose! descriptiones et icones aliquot Concharum insectorumve Societati Reg. Scient. Upsal. offerre aggrediar. Observavi, sed nimis sero, missis nempe jam proximis literis, Patellam fissam descriptam esse in Syst. Nat.; sed, ni fallor, vertex in specimine misso, cujus plura non possideo, haud erat perforatus, ut adeò eam inter vertice perforatas non quærerem. Falconem sub nomine argentati vel cani a me descriptum inveni inter Frisch. av. tab. 79. Anatem penelopem fronte alba mihi de Cimbria promisit amicorum quidam, ut adeò tunc certius de meis in Ornithol. Bor. sub hoc nomine descriptis anatibus judicare queam. Sine dubio restat heic in museo specimen anatis, quam Penelopem dixi, absque macula frontali, ita ut hanc, si jusseris et occasio adest, transmitterem. Aves quarum descriptiones in proximis dedi literis in museo sunt Dni Fleischeri, qui eas vere appropinquante Dno Pennant, ut æri incidantur, mittit; nec in duplo sunt specimina, ideoque minus accurate mentem forte in pristinis literis explicavi, siquidem ex literis Consulis Danici cognosco, Te harum exuvias farctas expectasse. Jam accepi de America Curculionem anchorago cum definitione tua optime congruentem, in multis quoque convenit cum meis Curculionibus antea descriptis sub no. 5 et 6, sed differt ab his Curculio anchorago femoribus dentatis atque elytris punctis excavatis

flavoque striatis nigris, apice quoque elytrorum truncato. In meis autem elytra sunt coloris castanei, lævia excepta stria unica ad suturam elytrorum, femora quoque sunt mutica; alteri rostrum est apice dilatatum ut in *C. anchor.*; elytra quoque huic sunt in caudam quasi producta, oculi et regio thoracis circa caput rubent. Alteri rostrum est subulatum elytrorumque apices bidentati, oculi nigri, sed regio thoracis juxta caput rubet. Antennis discedunt omnes à reliquis curculionibus, utrum sint species distinctæ vel varietates sexus? Si sunt varietates, attentionem tamen merentur, nam vidi de singulis duo specimina, invicem quoad omnia perfecte convenientia. Dari pleuronecten hypoglossum oculis sinistris refert Rev. Dnus. Ström Söndmøer I. p. 300. Piscem nuperime vidi Islandicum longitud. circiter 2 ulnar. latitud. circiter $\frac{1}{2}$ uln. corpore admodum compresso, pinna ventrali nulla, quantum ex inspectione momentanea judicare licebat. Ni fallor est *Lepturus* *Artesi* sed cauda est pinnata. Inter collectanea est Societatis scientiarum una cum *Onisco* pedibus 6. ideoque sub nomine pediculi mihi ab Islando monstrabatur, qui tamen eum in humidis terræ habitare referebat. Foemina hujus ovario erat instructa.

Americanas naturæ gazas colligere jam parat Civium Hafniensium laudatissimus et opulentissimus Vir Dnus Ryberg, mercator aulæ Regiæ (*Hof-Agent*) nec ei erit difficile, siquidem plurimas sic dictas colonias americanas ipse possidet. Lignorum pulchram acquisivit collectionem, quorum ramulos fructificantes jam arcessiri curat.

Favore insigni Mæcenatis mei, Patroni universitatis hujus Dni Excell: Ottonis de Thott exteras terras visitare ad studium historiæ naturalis et oeconomicum excolendum æstate bono cum Deo aggredior. Mense Augti Lugdunum Batav: redit ex peregrinatione sua Dnus Pennant, qui me tunc temporis ibidem adesse invitavit literis, ut eum in Angliam sequar. Hujus viri tantum favorem renuere haud debeo. Itaque Angliam deserens summo cum desiderio, volente Deo, Upsaliam proficiscar. Interim conatibus meis favorem ap-

precor . . . ¹⁾ ad omne officii genus semper invenies devincitissimum.

Intra breve tempus delineationem simul et accuratam dabo descriptionem Cardii istius Arabici. Vale, Vir Generose!

Dabam Hafniæ

è domo Elersiana d. 16. Febr. 1765.

Societati Regiæ Scientiarum Upsaliensi. à Upsala frego
Elseneur.

(44) Viro Generoso et Perillustri

D^{no} Carolo von Linné

Equiti

S. pl. d.

M. Th. Brännichius.

Jam in eo est ut Regio mandato simulque sumtibus iter aggrediar intra 3 proximas septimanas. Vi hujus mandati debeo excolere studium oeconomicum et hist: nat: easque ipsas scientias publice docere ex itinere reversus. Hollandiam et Angliam primum visitare mihi incumbit, deinde bono cum Deo Sueciam petere est animus. Si in hisce meis itineribus occurrat aliquod, in quo observando Tibi inserviam, mandato obsequar.

Occasionem exspecto, qua data mittam Tibi aves sequentes: Falconem lagopod: Ornith. bor. 15. Tringam ferrugineam et Tringam maritimam Ornith. bor. 180 et 182.

Observationem feci circa Colymbum arcticum sc. quod junior (non pullus) similis est parenti tam quoad abdominis album, quam quoad dorsi colorem, nigrum et maculis quadrangulares albas; differt autem pullus in eo quod loco maculæ istius, magnæ atro-purpureæ in colli parte supina, area adest ejusdem magnitudinis ex albo nigroque varia, inde concludo Colymbum torquatum esse speciem distinctam.

¹⁾ Her ere et Par Ord bortskaarne ved Brevets Aabning.

En Vir Generose heic datam descriptionem Cardii Arabici, inter spolia Forskåleana, quorum pars restat cum D^{no} Nieburg, antea nominati: Cardium Societatis v. Forskaaleanum v. Scrobs v. Strumosum.

Testa subquadrilatera valvulis angulatis, longitudinaliter sulcatis postice scabris; vulva conchæformi plicata, supra anum concavum inter nates distantes propendente.

De Arabia missa. 1763 . . .¹⁾ Insecta restant nonnulla nova, quoniam autem nondum meum de Suecia exemplar Musei L. V. accepi, ea indeterminata relinquere coactus sum. Vale Vir Generose! et conatibus meis in posterum fave. Dabam Hafniæ d. 23 Junii 1765.

Si aliquod mihi officii genus mihi injungendum habes vel alia de causa me literis ante abitum meum honorare Tibi erit animus, eas insequenti modo ad me ut dirigas rogo:

à Monsr.

Monsr. M. Th. Brünnich

à Copenhague

at afleveres paa Nørregade næst ved Dyr-kiøb hos Lieutenant Plöen.

(45) Viro Generoso et perillustri
celeberrimo D^{no} Carolo von Linné
S. pl. d.

M. Th. Brünnichius.

Per menses tres jam proxime præterlapsos in Cimbria degi; ubi pauca tantum legi naturalia. Betula nana ibi inter ericam haud est infrequens. In pratis juxta Endrupholm legi hypericum humifusum. Sub erica plerumque frequens est Lichen rangiferinus humilis. Vidi pullos cuculi nutrimentum accipientes à motacilla flava et alauda arborea simul, prior tamen videbatur novercæ officium melius præstare præ altera,

¹⁾ Hertil er føiet en udførlig Beskrivelse og to Blade Tegninger, som forestille Muslingen og dens to Skaller hver for sig, sete fra forskjellige Sider.

nam ubi nullus locus commodus, in quo pedem figeret, dorso cuculi sese imposuit, id quod alaudam haud vidi fecisse. In littore maris Germanici insulam Fanøe alluentis novam speciem Charadrii occidit Dnus Teilman, tanta harum avium erat copia ut littus omne iis abundaret. Eam ita descripsi: Charadrius supra albo nigroque varia, subtus candida, reatricibus intermediis longioribus, linea à rostro ad oculos fusca. Magnitudo alaudæ, celerrime currens minus timida. Habui vel 20 exemplaria in quibus omnibus ne minimum digiti postici erat vestigium. Eam nec in Tuo nec Brissonii systematibus invenio descriptam. Tectrices inæquales cinerascens marginibus apiceque albis. Prolixam dare descriptionem vetat angustum spatium. Rostrum pedesque erant nigricantes. Habeo etiam novam speciem canceris, licet minutissimam tamen ob spinas frontalem et ani singularem. Chrysomelam legi polygoni similem sed thorax utrinque valido armatur dente et nonnulla alia, quæ alia occasione vel in natura vel descripta, ut occasio fert, Tibi offeram. Hac occasione nonnulla de erroribus in ornithologia mea commissis addam, meliora edoctus. Strix N° 17 irides oculorum habet luteas, Strix 18 irides habet æcellaneo-nigras, ideoque ultima debet esse Aluco. Anas 72-74. non est penelope, nescio an sit nova, marem et foeminam ante meum abitum dedi amicis, ut per Consulem Koustrup Tibi mitterent, nescio an advenerint; illas sequebatur falco orn: bor: 15. Penelopen postea vidi in Cimbria. Catharactam Cepphum iterum occidi equidem in campis Cimbriæ, ubi tranquilla admodum circumambulabat licet sclopetum 3 frustra disposuit venator. Recentem habui et inveni in ventriculo et omnibus visceribus ingentem copiam Scarabæi stercorarii. Mas erat. Magnitudo erat eadem cum nostra in ornitholog. descripta, sed color variabat ita, ut hæc coloris erat fere cuculi canori, hinc definitio ita erit mutanda. Cepphus corpore undulato, ala notha nigra maculis albidis. Capiebatur initio 7bris. Colymbi arctici (orn: bor: 133.) pullum Hafniæ habui ex Bornholmia, differebat à descriptione gutture et colli parte prona albis nigro punctatis. Scolopax

falcinellus (orn: bor: 167) est varietas *Tringæ alpinæ*, rostrum in omnibus erat paulo decurvatum. Frequens avis ad littora maris germanici. *Tringæ squatarolæ duplex* datur varietas, utrum sexus? Altera similis est *Charadrio apicario*, altera *Charadrio pluviali*, ut easdem diceret, qui digitum posticum minutissimum non observaret. Conveniunt varietates Corpore fusco albo luteove maculato rostri apice crassiore, ala notha sub alis nigra. Ad littora maris German: degunt et ob similitudinem cum *Charadriis* jam dictis *Strand Hieiler* dicuntur. Volitant gregatim. *Charadrius Alexandrinus* nidos construit in insula maris germanici *Langeligbiere* dicta. Jam *Leydæ* collectionem *Avium* etc. Universitatis proprio Marte perlustrare est animus, et ubi collectiones desunt perlustrandæ, Hagam adeo, inde Angliam peto. Si heic vel alibi Tibi ullum præstare possem officium, honorem semper habeam. Literæ mihi ita inscribuntur: à Mons^r Mons^r M. Th. Brännich à Leyde opte *Langebroke in't Mantelhuys*. Exuvias *Charadrii* novi si occasio fert, Tibi mittam. Faxit Deus T. O., ut diu lætus nobis intersis, præsens tunc ipse testabor, quanta observantia Viro Tanti nominis sum addictissimus. Vige, mihi verò ut favere pergas, rogo. Dabam *Leydæ* d. 18 Octobris A^o 1765.

a Monsieur Mons^r Charles von Linné Chevalier de l'Ordre de Nordstiernen Medecin premier de Sa Majesté le Roi de Suede, Docteur et Professeur en Medicine et botanique Membre de l'Academie d'Upsal, de Stockholme, de l'Academie Françoise, de Russie etc. etc. à Upsal
franco *Hamburgh*

(46) Generoso & Perillustri Equiti
Celeberrimo D^o Carolo von Linné

S. pl. d.

M. Th. Brännichius

Litteras Tuas Lugduni apud Batavos acceptas, favorem in me indicantes insignem, perlegi cum maxima æstumatione,

earum responsorias dare nunc primum permisit tempus. Amstelodami sæpius adibam Dnum Burmannum & filium, Lugduni Gronovianas collectiones pluries perlustravi. Horum devotissima Tibi annuntio. Dnum Royenum Lugduni tunc temporis non præsentem haud vidi. Dr. Pallas inveni Hagæ Com. talem qualem eum descripsisti, se nullas de Te vidisse literas affirmavit. Zoophyta edere incepit omnia, novisque descriptionibus omnia, quæ vidit, proposuit. Systema elegit novum. Figuras habet nullas sed tantum excitationes Autorum, quos non semper debita tractat modestia. Scientiam multis observationibus novisque detectis adauxit, optandum ut virtutem viri simul cum eruditione monstraret singula pagina. Opus de Coleoptris sero prodibit. Non videbam plures tabulas excisas quam unica ista sed ingentem numerum iconum elegantiorum. Tempus terunt novo effingendo Systemate, et siquidem nullum intelligunt, procedunt numerando, hinc illis aridet Geoffroy. Sed cum eorum scopo haud est sufficiens, vel interdum defecto ipsorum, innumera genera miris nominibus dicta effingunt. Eo ordine opus aggredi tabulasque edere propositum habent. Vir iste senior debilis adeo, ut vix vita illi erit duratura in tantum tempus, quod huic sufficiet operi. Filius ejus bonus quidem vir, sed patre multo ignorantior. Spero Te jam accepisse aves per Dn. Koustrup. Bradypus Amstelodamensis erat mortuus. In Vivario ibi haud rara erant animalia, vidi Simiam caudatam fronte rugosa subnuda, dorso nigro, collo humeris et pectore albidis ex Surinam, sonum edebat pipientem, magn. minoris cuniculi. Paucas vidi Simias ideoque nec potui determinare utrum descriptus erat nec nè. Animal forte Viverra digitis 5. dentibus incisoriis infra nullis ideoque de ea hæsitabam. Reliqua erant Viverra mungo, Hystrix, Felis apicibus auricularum flocco pendulo instructis, Brisson ni fallor. Quando ab Anglia per Hollandiam ad Parisias pergo, melius præstabo observationes, quas tunc temporis occasio non permisit. Degi Hollandiæ usque ad finem ferè Decembris, ut videas circumscriptum mihi fuisse tempus. Atque cum in Univ. Hafn. jam constitutus sum Docens Hist. Natur. & Oeconom. non licuit mihi

jussu Præsidis ejusdem Univ^{ti}s majore uti tempore. En nonnulla quæ ibi descripsi maxime singularia¹⁾

Non sufficerent plura folia si reliqua observata mitterem. Jam Londini dego et per aliquot dies ob faciem tumefactam domi hærere teneor. Quamprimum restitutus fuero civitatem relinquam. Interim si me literis honorare velis, dirige eas, precor, tali modo: To Mr. Brünnich to be left at Mr. Claus Heyde in Well-Close Square. inde ad me di²⁾

Leydæ nulla sunt musea piscium, præter Gronoviana & Museum Lugdun: quod pauca continet. Alia sunt heic et ibi apud privatos sed omnia difficile describuntur ab aliis nisi eis qui per annum et longius collectores frequentare possunt. Spero Dn. Pallas descripturum fore quæ in hac reliqua animalium parte Belgi possident.

Director Musei Principis Hagæ Com. est sane inter stupidos contemplatores; ignorantia ejus svadet invidiam, hinc noluit me ullum aliquod in hoc museo ornatissimo annotare, causam dixit quia ipse ea evulgare conabatur. Dolendum quod hæc sacra stupidissimo & maxime ignaro huic sunt concredata.

Museum Britannicum et alia Londinensia vidi aliquoties sed licet sunt magna multa tamen heic desunt quæ inter manus sunt Belgorum. Devotissima Dni. Ellisii & Solander tibi annuntiam. Viri isti maximam merentur æstumationem. Gaudeo me jam invenisse unum maximorum tuorum discipulorum, cujus doctrina simul et favore in me maxime lætatus eum. Si veniam Præsidis Universitatis Hafn. acquisitus fuero, Hispaniam proximo anno et inde per mare mediterraneum Italiam visitabo. Tuum de isto itinere consilium simul et commendatorias literas ad Hispanos mihi expeto. Me in eo ut in reliquo itinere habebis paratissimum. Vale Vir Gene-

1) Her følge to Foliosider Beskrivelser af enkelte Arter af alle Dyreclasser, tildeels ledsagede af Pennetegninger.

2) Slutningen af Ordet er afrevet.

rose mihique ut faves favere pergas. Dabam Londini apud Anglos. d. 4. Martii A° 1766.

P. S. . . . ¹⁾ Angliam relinquere non cogito antequam mense Julii v. Augusti. Tum per Hollandiam Galliam adire mensibus Dec. Januarii & Febr. Parisiis hybernare. Inde per Galliam Marsiglias peto. Quamprimum salus mihi redierit, cum D° Pennant, Londini degente, Provinciam Wallis adeo. Confusum istud chaos Historia Fossilium Di. Da Costa jam continuabitur novo Volumine; sed quod optimum, figuras addit Concharum Petrefactarum, quæ antea non sunt delineatæ. Vale & Vige Vir Generose! Me doceas rogo, quando expectabimus Systematis editionem novam.

Prodiit jam Tomus 4^{tus} Thesauri Sebæ continens insecta etc. Perdita sunt omnia adeo ut descriptiones ex figuris sint fabricatæ.

a Monsieur Mons^r Charles de Linné Chevalier de l'Ordre de Nordstjerne Medecin premier du Roi, Professeur en Med. & Botanic Membre des Societes d'Upsal, Stokholm, Petersborg, Paris, London &c. &c. à Upsala en Suede

(47) Perillustri & Amplissimo Viro

Dno. Carolo de Linné

Equiti Aurato

S.

M. Th. Brännichius.

Ultimas Tuas accepi Londini, responsum dedi ex Derbyshire iterumque scripsi è Transylvania, jam crederem ambas has literas esse perditas, maxime cum video nova ista animalia et quæ de auri mineris Tibi communicavi, in Systematis editione nova non esse allata, ideoque de novo Tibi scribere cogitavi. Anno proxime præterlapso toto in Hungariæ Transylvaniæ et Banati fodinis fui occupatissimus, ante

¹⁾ Her følger en halv Folioside med Beskrivelser af et Par Dyrearter fra de hollandske Museer.

mensem Saxoniam primum ingressus sum, bonosque inter Lipsienses jam aliquot dies maxime utiles consumpsi. Museis inprimis Mineralogicis scatet urbs. Fodinæ Saxoniae & Bohemiae restant mihi visitandæ, ideoque intra aliquot dies amicos hujus loci relinquere cogor. Deinde e Saxonia per Hercyniam Hafniam peto, unde post aliquam quietem Sueciam & Norvegiam visitare aggrediar. En papilionem inclusam Danaum Asiatico simillimum nisi noster alis gauderet concoloribus, quæ in asiatico (nomen non in mentem venit) subtus sunt flavæ. Volitat in mense Septembris & 8bris in montibus Banati Temesvarici Wallachiam adjacentibus. Volatus tardus, quiescit alis patulis, expansis.

Obs: Montes sunt in territorio Turcorum, ab altera parte Danubii sito, Moldovam inter & Berzaskam Columbatsch dicti, hi videntur ad littus Danubii ubi sunt siti. Foramina v. cavitates habent amplissimas et, ut fertur, profundissimas. Nemo ascendit unquam ob præcipitium & altitudinem. Secundo fluvio iter feci usque ad Orsovam Turcorum, in quo itinere vidi circa has montes ingentes aquilarum & accipitrum cohortes, semper circumvolitantes. Ex his cavitatibus credunt incolæ prodire muscam quæ ob sequentia maxime est particularis:

Mense Aprilis & Maji cum vento australi veniunt nebulae quasi harum muscarum, quæ boves aggrediuntur tanta copia et tanto veneno ut intra horæ vel duarum horarum spatium bovem occidant, nisi in vicinio sit domi, ubi accurrentibus bovis focum faciunt Valachi, et ita circumstantes boves fumo ab hostibus liberantur, fumus nempe eas arceat.

Misit Imperatrix medicos ut inquirerent ulterius hujus plagæ naturam. Sed proh dolor! viri hi nunquam ad alias attentis muscas quam eas, quæ naso forte eorum insederant aliquando, nil observarunt; cute bovis detracta narrant apparuisse maculas quasdam flavas, in naribus boum quoque dixerunt hæsisse aliquot muscas. In aperto cadavere cranio &c. nil observarunt. Muscam hanc non vidi utpote tardius adveniens; mihi autem describebatur minima, forte e genere

culicum. Proximo anno habebitur in Spiritu Vini et sic ulterius eam determinare sit possibile.

Scopoli prodiit cum sua Mineralogia, si tacuisset . . . !

Da Costa Societatem Angl. decepit ideoque absens jam dicitur. Ichthyologiam Massiliensem edidi ipse, utinam Tibi arrideat. Exemplar mittam si occasionem inveniam satis commodam. Vale Vir Perillustris mihi studiisque meis fave.

Scribebantur Lipsiæ. d. 5 Febr. 1769.

Diriguntur literæ pro me ita:

a Monsieur Brünnich.

abzugeben bey den Herrn Albert Friederich Gregory a
Dresde

A Monsieur Mons^r Charles de Linné Chevalier de
l'Ordre de Nordstierne Premier Medecin, Professeur en
botanique & Membre des plus celebres Societes des sciences,
&c. a Upsal en Suede
franco hamborg
med en Fiaril uti.

(48) Perillustri & Generoso Equiti

Celeb^{mo} DD Carolo a Linné

S. pl. d.

Martinus Th. Brünnichius

Novum iterum solamen è Tuis Fribergæ acceptis habui, et maximum, si Te incolumem in patria visitare aliquando mihi datur, inveniam desiderium impletum. Recte divinatus es me Professore designatum Hafniensem, nam d. 5 Maji hujus anni mihi hanc spartam contulit Regis gratia, utinam aliquo modo has partes implere possem, qui meliores annos Theologicis & Linguis orientalibus jamjam sacravi. Forte anno proximo Sueciam & Norvegiam visitare aggrediar. Jam domum tendo ita ut fodinas Hercyniæ hac vice intactas præteream.

En inclusa diptera quæ boves in provincia Banat dicta in confiniis nempe Vallachiae occidant. Me judice Tabani

est species. Alia in alia occasione sv¹⁾ mihi sunt promissa.

Scopoli jam factus est Professor Schemnitzii loco Dni Jacquin qui Viennæ constitutus est, Vir omnibus honoribus maxime dignus et cujus colloquio multa didici. Ille sc. Scopoli miserrimis scriptis eruditos seducit, meliorem jam habebit occasionem errores corrigendi, de propriis nunquam persuasus, ideoque in vanum diligentissimus Vir. Viam certe nescit, qua ad mare deveniat.

Egregia multa audivi de D^{no} Ferber, quem in itinere nondum cognovi, jam ex Tyrol literas ejus vidi apud amicum. Dnus Fabritius, qui Professor etiam & Collega Dni Ascanii est, jam Strasburgi degit ex Italia redux.

Nesciebam Gouanum in Ichthyologicis laborare, nec dubito quin meis meliora præstiterit. Intra duos menses domi bono cum Deo ero, inde subito opusculum missurus. Aviddissime jam Gouani Opera exspecto, ut meos errores simul & dubia cognoscam. Maxime doleo quod integram meam collectionem piscium, exceptis minutissimis, perdiderim. Navis sc. per 8 menses inter Massiliam & Hamburgum interfecit, ad littora anglicana læsa: hæc fuit causa quare omnia fere, in Spiritu Vini conservata, vel putrefacta vel in vitris ruptis plane lacerata advenisse.

Forte in Americanis piscibus observationes facere aliquando habeam occasionem, cum certo, si vitam mihi concesserit Deus, post aliquot annos Curassoam aggrediar.

Flora Helvetica Hallerii prodiit in folio, eam vidi Viennæ apud Dn. Jaquin. Floram Hispanicam nondum vidi licet semper in itinere eam quæsivi, dixit amicus et ni fallor Ferd. Bassi eam præter Tua nil continere.

Crantzium non possideo, sed de amico Viennensi sequentia habui²⁾.

»Hæc res cum Ill. Linnæo ansam dare posset inquirendi ulterius in sua genera, maxime vero in genus Yuccæ et ejus

¹⁾ d. e. i Spiritus vini.

²⁾ Plantebeskrivelser og Diagnoser paa Störkia Draco.

species, illi ut & botanicis omnibus gratissima esse debet, dum interea novum constitutum genus; et cum nullius majora sint in rem herbariam merita quam Clariss: Prof: Hfn. Oederi merita sit igitur Oedera. ¹⁾«

»Hic habes descriptionem generum«, inquit amicus hæc mittens, »Libri ceteri nullius sunt momenti, ubique Anti-Linneana.«

Per 2 septimanas me intra parietes tenuit pluviosa tempestas, quæ die et noctu ità perseverabat ut crederem novum diluvium, et certe exstitisset, si prius 40 diebus factum fuisset. Jam tumido collo, ex causa tempestatis frigidæ, aliquot diebus laboravi, nunc tandem aliquo modo restitutus, ita ut crastino die locum relinquere sit animus.

Si aliquando rescribas rogo ut literas Hafniam dirigas à Mons^r Brünnich. Professeur d'Oeconomie & Hist: natur: dans l'Université de Copenhague.

a Copenhague.

His Vale Vir Perillustris & me amare perge.

Dabantur in Valle St: Joachimi Bohemiæ. d. 2 Julij 1769.
missa ex Hof in Bareuth d. 9 Julij a. c.

p. s. Nuperrime audio Van Dellium demonstrasse contra Crantzium prædictas plantas esse species Draconis, ideoque Störkia & Oedera fatum habent cum Fungis, qui cito crescunt cito pereunt.

Ex Roma mihi communicavit Frater meus, qui pictor est, amicum ejus ex Svecia ibi degentem in arte sculptoria insignem mihi donasse effigiem quæ Te repræsentat in Gypso ideoque ad amicos scripsit ut Tibi dirigatur, ideoque rogo humillime ut illam mittas Hafniam à Mons^r Mathias Pløen Vægter Lieutenant boende på Nørregaden næst Dyrkiøb.

¹⁾ Diagnose paa Oedera dragonalis.

(49) Perillustri & Celeberrimo Viro
Dno. Carolo De Linné Equiti
S. pl. d.

Martinus Brännichius.

Festinans arripio occasionem, libri, Ichthyologia Massiliensis inscripti, Tibi offerre, transit nempe nostram civitatem amicissimus mihi & ob eruditionem æstumandus maxime Dnus Ferber. Inde a reditu ex itinere in collectionibus fui occupatissimus. Insectorum ingentem cohortem jam his diebus ad ultimum usque in ordinem redegi; sed iterum ex Africa & America ultra 1000 species, inter quas haud paucas ignotas, mihi allatæ adstant, ut testis oculatus Dnus Ferber copiam miratus fuerit. Ideoque de novo laborem ante festum Ptini furis et dermestidum aggredior. *Cassida* 7guttata, olim a me ex Africa descripta, est *Blattæ* species in cujus elytro altero tres sunt maculæ rotundatæ albæ, in altero autem 4. ejusmodi maculæ. In collectione olim sub vitro *Cassidæ* figuram mentiebatur. Capsulam ferream cum aliquot rarioribus Insectis, quæ primum visui se offerebant, simul dedi Dno Ferber ut Tibi mitteret. a. *Hispæ* species novæ ex Americæ insulis St. Crux & S. Thomæ. b. *Notonecta* ibidem. c. *Scarabæus* ibidem, inde quoque *Mordellam* paradoxam habeo unicam. d. *Tenebrionis* species in *Scabiosis* Hungariæ haud infrequens.

Domus pro museo sat ampla mihi donatione Regia venit in Universitatis ædificio, ubi etiam pro usu oeconomico proprio cameræ sunt paratæ. Thecæ jam construuntur regiis impensis ita ut cum initio Septembris programme & oratione novum munus incipiam, ad quod tempus spero fore ut Principes Vestri, (ut narrat fama) civitatem visitent, sic forte illorum præsentia rem magis reddat solennem. In hoc Museo vellem ut tot facerem discipulos quot Tu formasti egregios magistros.

Quod museum pulchre ornaret intense flagito Tuam nempe effigiem, quam dignissimo affigerem loco. Swabii quoque, utpote Mineralogi insignis, effigies inter primarias mihi,

si obtinenti, numeraretur. Proximo anno Sveciam & Norvegiam v. c. Deo visitare debeo. Heri literas de Orenburgo mense Septembri a Pallas datas accepi. Multa animalia, quadrupeda aves amphibia & insecta detexit, piscium mentionem haud facit. *Falkia tetraspis*, *Anabasis cretacea*, *Salicornia* & *Cheiranthus tartaricus* inter plantas maxime considerari merentur. His vale Vir perillustri, bona salute & longa senectute vigore stipata frui, sic me amare quod pergas certus sum. Vale. Dabantur Hafniæ festinante calamo. d. 1. Junij 1770.

a Monsieur Mons^r Charles de Linné Chevalier de l'Ordre de Nordstjerne medecin premier du Roi, Professeur à l'Université & Membre des toutes les Sociétés des Sciences d'Europe a Upsala

hermed en Bog og en liden Eske med Insecter mærkede L.

(50) Viro perillustri & Celeberrimo
Nobilissimo Equiti D^{no} Carolo de Linné
S. pl. d.
Brünnichius.

Suecanas musas, naturæ & artis officinas septentrionales invisere aggrediuntur crastino die Comites de Reventlau duo eorumque amicus Doctor Wendt, triumviros hos eximios, morum suavitate & scientiis æque spectabiles excipias, sum persuasus, pro amicis, pro doctis & magna eruditione pollutibus. Tantis valent ingenii & iudicii dotibus ut dubius hærerem si alicujus animum & animam mihi expetere liceret. Vellem ut in eorum societate Sueciam aggredi possem, sed hactenus nondum fuit concessum. Exponent illi, quæ mea et totius Scientiæ sunt vel esse possunt fata. Collectionem regiam olim in arce Charlottenburg a caro tuo & beato Holmio collectam tandem Dni Ascanii curis datam Universitati nostræ obtulit Rex; nondum hic allata exspectatur, Fabricius Professor Oeconomiae in Univ: Hafn: itidem est constitutus; incertus hæreo ipse utrum in officio perseverare liceat,

vel munus tradatur D. Ascanio. Genera Animalium in usum prælectionum divulgare incoepi, quamprimum perfectum fuerit opusculum illud mittam.

Nuperrime piscem descripsi è Nordlandia allatum 5 pedd. long: & $\frac{1}{2}$ ped: lat: Corpore compresso argenteo, pinna dorsali continua, abdominali vel anali nulla. Sub pectoralibus loco ventralium aderat utrinque radius 2 pedd: circiter longitudine apice dilatato membranaceo. Iconem confeci qualem potui, quam una cum descriptione transmittam pro actis forte Vestris.

En pauca Tibi oblata Insecta, quæ circumscriptum tempus & instans amicorum iter seponere permisit. D^{nus} Drury Anglus insecta & icones divulgavit sed nondum mihi visa. Si quædam inter mea nova sunt Tibi nondum visa, gratum mihi id erit, qui semper Tibi Tuisque laboribus sim addictus & maneam. Vale Vir amicissime & hæc raptim congesta pro solito favore ut excuses rogo.

Dabam Hafniæ d. 4 Maji 1771.

a Monsieur Mons^r Charles de Linné Medecin premier du Roi, Professeur Docteur & Membre de tous les Societes illustres d'Europe a Upsala.

(51) Viro Perillustri & Celeberrimo
DD Carolo à Linné
Equiti de Stella Polari

S. pl. d.

Brünnichius.

Tuas d. 24. Decembris datas rite accepi sed jam prima se offert occasio mittendi Fundamenta mea Zoologica, quæ opto haud indigna in Sacratio Naturæ oblata munera. Quæ bona invenies Tuis debeo, ceterum compendium est juxta quod in prælectionibus meis procedam. Erroribus haud est immune, defectibus laborat, ideoque suo Auctori simillimum opusculum; forte restaurabit tempus omnia, in tantum itaque ignoscas rogo. Naturæ gazas, olim in arce Charlottenburgensi,

curis Ascanii concreditas, Universitati nostræ obtulit regis gratia, ideoque autumnno præterlapso sub meam inspectionem pervenerunt. Jam in eo sum ut eruam e cistis Arabicis et ex uberrima Testaceorum copia ibi contenta specimina notatu digna rariora vel nova. Adest quoque Materia Medica studio b. Forskålii Constantinopoli collecta et manu ejusdem diligenti titulis Arabicis & paucis aliis obss: illustrata. Quædam ex his omnibus videbis in Fasciculo Obs: quas jam meditor, invenies quoque ibi pisces binos septentrionales vere singulares & magnos. Unus horum exstat in fasciculo novo piscium quem nuperrime divulgavit Ascanius, alter excusus est in Opere danico nuper evulgato sub titulo Islands Beskrivelse bekosted af Videnskaps Societetet. Sed figuræ horum piscium minus exactæ novas merentur, quas ipse juxta naturam repræsentavi accuratas, et descriptionibus, quæ citatis desunt, illustravi. Actis Vestris, si satis digna judicas, ea offerre haud repudiam, quæ ejusmodi occasione se offerunt. Inter Insecta augetur numerus novorum quotidie, spero fore, ut fata mihi venient benigniora, sic possim majori stimulo reliqua persequi.

Adest jam apud Vos mihi amicissimus Vir Consiliarius Status Dan: DD: Kofoed Ancher qui munere Professoris Juris fungitur multoque honore nostram Universitatem decoravit. Ob manuscripta codd: præsertim historiæ danicæ Sveciam adiit ibique aliquo morabitur tempore. Ille est qui hasce literas secum portat. Venerabundi Edwardi magni Angliæ ornithologi effigie gypsea decoratur bibliotheca Theatro Naturæ addita, magnum mihi addes gaudium si Tuam e gypso confectam mihi per Dnum Kofoed Ancher mittas, erit mihi semper inter pignora amicorum gratissimum munus. Königius nuperrime scripsit avesque nonnullas Theatro misit, ubi quoque ejus olim missas collectiones admiror. Fata illi sunt minus fausta sed proh dolor! commune illi est cum pluribus Naturæ consultis naufragium.

Hisce diebus Ars, quæ veterinaria dicitur, suum nacta est Professorem, Virum vere eruditum et in arte strenuum Dn: Dr: Abildgaard, in historia naturali quoque haud leviter

versatum. Locus uti obs. suas instituat, erit in suburbe Hafniensi, reliquæ autem conditiones nondum determinatæ. Vidi jam ex relationibus publicis Dn: Förster navem ascendere, quam repudiarunt Dni Banks & Solander; Omnes istos viros peculiari conversatione in Anglia novi, ideoque prævideo Monoculum istum loco Argi naturæ præfectum, quantaque itaque copia rerum Virum aliàs diligentem effugiat. Semina multa inveni in cistis Arabicis, quæ botanico nostro D: Friis Rottböll tradidi, omnia a Forskålio collecta & nominibus latinis ac arabicis insignita erant, utinam ea maturius quæsivit Ascanius. Descriptiones piscium quas supra memoravi intra breve tempus tuo judicio tradam ut de dubiis adeo generibus sententiam Tanti Viri, si concedas, reportam. Vire & Vige diu felix, ceterum Vale & me ama. Dabantur Hafniæ d. 5 Julij 1772.

Prodiit Dissertatio Viri eruditi in Svecia de Testaceis tractans & figuris illustrata sed eam non potui hic acquirere.

Prodiit nuper Annus 5^{tus} D: Scopoli, cui nondum venit tædium nova genera citra necessitatem exordiri.

Pour monsieur Charles de Linné Chevalier de l'Ordre de Nordstierne Medecin premier, Professeur & Membre des Academies illustres de l'Europe a Upsala.

(52) Viro Perillustri & Celeberrimo
Equiti Aurato

D^{no} Carolo de Linné

S. pl. d.

Martinus Thr. Brünnichius

Commercium literarum, quo me diutius honorasti, multo jam tempore suspensum fuit, idque ob negotia apud fodinas Kongsbergenses mihi injuncta, ubi tædioso labore, juris magis quam naturæ consultis proprio, per tres annos vacabam; ideoque nescio, si post ultimas Tuas, sub finem anni 1772 datas, meas reddiderim. E Norvegia jam reversus et celebratis nuptiis, etiam in ordinem digestis propriis collectionibus,

habui hac hyeme prælectiones in mineralogicis & metallurgicis, earum privatissimas audivit Vir in metallurgicis bene versatus D^{nus} Hofgaard. Iter ingressurus iste meus amicus, ut apud Vos eruditionem et experientiam suam inprimis in metallurgicis adaugere queat, meam simul cum hisce literis salutem & reverentiam Tibi, Vir æstumatissime! dicendam promisit, & quam intense pro Tua senectute, utinam per seriem annorum feliciter provehenda, Vota facio.

Vernum tempus anni proxime præterlapsi à negotiis Kongsbergensibus mihi vacabat, ideoque ibi herbatim perlustravi montes eorumque cacumina inter alpes prominentia. Inde copiosam plantarum messem retuli, ex qua Tibi transmitto plantæ exsiccatae specimen Arenariam tetragyniam, cujus Styli IV. erecto reflexi, stigmata obtusa: Stamina X. linearia, destituta longiorum glandula: Capsula ovata apice 5fariam dehiscens. Cetera indicabit plantæ specimen: Habitat in sylvis umbrosis ad radices arborum putridas & alibi, floret ineunte Junio. Pezizam eodem tempore collegi superne concavam coccineam, inferne albam sessilem substantia carnosa lactea: Habitat super ramis alni putridis terra sepultis unde vix prominet superficie concava colore crocineo distincta in umbrosis mediæ montis.

Felem m: & f: pilis laxis aliisque notis a domestica variam inveni apud rusticos alpium Norvegiæ, edit vegetabilia & carnes. Sine dubio eadem est cum ea quam in Scanico itinere Tu quondam vidisti.

Plura hac vice non addam si modo Tuis iterum me erudire velis & credas me esse ad urnam usque Tui nominis sincerum cultorem. Dabantur Hafniæ d. 10. Aprilis 1776.

Propediem videbis obs: in itinere per Hungariam & Transylv: collectas. Hac æstate museum Moltkianum in ordinem redigere & nova describere aggredior.

a Monsieur Monsieur Charles de Linné Chevalier de l'ordre Nordstjerne Archiater & Professeur de l'Université
Membre des Sociétés illustres a Upsal

Lorenz Spengler

f. 1720. d. 1808.

(53) Kjøbenhavn d. 10. Jan. 1761. — Heute vor acht Tagen musste die ganze arabische Gesellschaft zu Schiffe gehen, und am Mittwoch darauf gingen sie endlich unter Segel. Gott begleite diese gute Leute, was wäre es nicht vor ein Schaden, wenn der Herr Professor Forskål nich wieder zurückkommen solte? Ein Mann von seiner Art ist meines Bedünckens fast zu gut eine so gefährliche und weite Reise über sich zu nehmen, und den man hier in Copenhagen mit eben so grosem Nuzen hate brauchen können. Ich bedaure insbesondere das er die univalves bey dem obgemelten Catalogum¹⁾ nicht auch beschreiben können. Er hat mich zwar bereden wollen das ich mit demselben fortfahren könnte, nach dem jedes Stück schon nach dem N. S. numerirt ist. Es ist wahr, ich würde es vielleicht wohl so gut machen als irgend ein hiesiger Gelehrter, aber so zu machen wie der Herr Forskål müsste man auch einen Linnæum zum Lehrmeister gehabt haben, und sogleich seine Talente besitzen.

(54) Kjøbenhavn d. 1. Dec. 1764. — [Forsskåhl havde under sit Ophold i Kjøbenhavn i Forening med Spengler begyndt at ordne Grev Moltkes Conchylië-Samling og skrive Catalog over den, og hermed var man kommen til Univalverne. Nu tænkes der neppe mere paa at lade et Catalog over Samlingen trykke. Blandt de fra den arabiske Reise bragte Conchylier findes en] Cardium, welches in Ansehung seiner überaus herrlichen figur aller Menschen Bewunderung verdient.²⁾ — Doctor Cramer ist nun auch den 10ten Febr. in Bombay Todes verfahren, folglich ist von der ganzen Gesellschaft niemand mehr als der Mathematicus Herr Niebur noch übrig. — Mit dem 2ten Theil des Regenfusischen Werck geht es erstaunlich langsam zu, der König ist desswegen sehr ungnädig auf ihn.

1) Over Grev Moltkes Samling.

2) Uden Tvivl Cardium retusum, Naturh. Selsk. Skr. V, 1. H. 54.

(55) Kjøbenhavn d. 19. Septbr. 1775. — Man glaubt hier das der hiesige Professor Oeconomié Fabritius, nach der Universität Kiel als Professor der Naturhistorie versetzt werden möchte.

(56)* Kjøbenhavn d. 20. April 1780. — [Af Ascanius's Værk ere nu 4 fascic. udkomne; hver koster 3 Rdlr. Om han vil fortsætte Værket, veed Spengler ikke, dog skulde han troe det, da Kongen giver Ascanius 200 Rdlr. til hvert Hefte. Her i Byen, bag Charlottenborg, er den nye botaniske Have anlagt paa det Fortræffeligste, med megen Orden, Smag og Pragt, skjønne Bygninger, Bibliothek osv.] Herr Etatsr. und Prof. Fr. Rottböll ist darbey Professor, und so Vahl, ein Norman und Schüler vom seel. hr. von Linné, ist darbey Lecteur, und hat seine Wohnung bey dem Garten. Es ist ein überaus geschickter Mensch und ein grosser Verehrer seines grossen Lehrmeisters.

Hans Ström

f. 1726. d. 1797.

(57) Høyædle
og Velbaarne Herre!

Det vill uden Tviil komme Deres Velbaarenhed fremmet for, at see Brev fra et saa langtfraliggende Stæd og endnu mere fra en gandske ubekiændt Person. Det kunde endog ansees som formasteligt af mig, i fald dette mit foretagende skulde dømmes efter den blotte Velanstændighed; men da det er noksom bekiændt, at Deres Velbaarenhed seer mere paa det Virkelige end paa Complimenter, har ieg understaaet mig, at opvarte Dem med dette Brev og med en Foræring af hosfølgende ringe Skrift. Det er hverken Egenkiærlighed eller Indbildning om mine egne Fortiænester, Som have drevet mig hertil, skiønt intet kunde være mere smigrende for begge, end om min Dristighed blev gunstigt optagen og mit ringe

arbejde fandt Biefald hos saa stor en Mand. Høyagtelse og Taknemmelighed ere mine eeneste Drivefiædre: Disse er den hele lærde Verden Dem skyldig, og det er allene i den henseende ieg har holdt mig pligtig til, skjønt ubekiændt, at give Deres Velbaarenhed dette ringe Beviis derpaa. Ieg har Deres vigtige Opdagelser i alle Naturens Riiger at takke, om ieg har samlet nogen Kundskab i denne nyttige Viidenskab: Det er Dem allene at tilskrive, om ieg i det tilsendte Verk har givet nogle Prøver derpaa, som kunde være Kiændere til Fornøjelse og Nytte; Dem er det altsaa ieg til Erkiændtligheds Tegn skylder en Foræring af mit ringe Arbejde, som ieg ønsker maatte agtes værdigt til Deres Biefald og Récommendation blandt Deres Landsmænd. Ieg indseer meget vel, at det ikke kan udholde den strængeste Critic, allerhelst af Deres Velbaarenhed, som den rette Overdommer, men da det er mit første Forsøg, haaber ieg, at Manglerne undskyldes og at Viljen tages for værket. I den anden Deel af Skriftet, som ieg liigeledes vill tage mig den Frihed, at offerere Dem, skulde maaskee de fleste Feyltagelser rettes.

Ifald Deres Velbaarenhed vilde bæere mig med Svar paa dette Brev, vilde ieg fornemmelig ansee det som et Tegn paa, at min Dristighed ikke er blevet ugunstigt optagen og dernæst ydmygst bede, at det maatte adresseres til min Broder I. Henric Strøm, Informator hos de Kongelige Pager ved det Danske Hof.

Imidlertid har ieg den ære med den dybeste Høyagtelse at henleve

Borgund Præstegrd
den 8^{de} Septembr. 1762

Høyædle og Velbaarne Herre!
Deres
underdanige Tienere
Hans Strøm
Capellan til Borgunds Kald
paa Søndmør i Bergens Stift i Norge.

Otto Frederik Müller

f. 1730. d. 1784.

(58) Høyædle og Velbaarne
Høylærde herr Professor!

Insecta, quae nunc TIBI offero, pauca sunt nec splendida, at tamen pleraque haud descripta credo. N^o 1—13 Insecta sunt e Tranquebar Indiae Orientalis a D. Koenigio missa. Distincta et indeterminata mihi omnia videntur. Hac aestate nauibus, quae nunc domi veniunt, totam collectionem insectorum huius regionis exspecto, de quibus data occasione postea plura ²⁾

Litteras TVAS nouissimas accipio, quas statim D^r Gieseke communicauit, et hodie adhuc iter inchoatum continuabit. Ille

¹⁾ Bemærkninger om 75 Plantearter.

²⁾ Liste over 25 Arter Insekter, mest europæiske.

plura TIBI de nostra situatione, de nostris operibus coram narrabit.

Vale Vir generosissime fauereque perge. Vt meis verbis totam familiam nobilissimam salutes etiam atque etiam rogo, qui sum semperque ero

[Uden Datum.]

tanti nominis
cultor deuotissimus.

(84) Viro generosissimo atque nobilissimo
D. C. a Linné
Archiatro meritissimo, Equiti
splendidissimo, Professore celeberrimo
s. p. d.
J. C. Fabricius

Litteras TVAS nuper ad me datas maxima cum voluptate accepi, iterum iterumque perlegi. Laetor TE valere et me benevolentia TVA haud indignum iudicare. Felicem me semper putabo, quod amore vere paterno me amplecti TVA-que manuactione specialissima me beare haud dedignatus sis. Nullum sane naturale video, quod mihi recordationem praeceptoris optimi haud inspirat, cui omnes in historia naturali progressus, qualescunque denique sunt, omnino debeo.

Lipsiam reliqui Dresdam petens, vbi apudInspectorem Birkhan historiae naturalis cultorem diligentissimum per totam aestatem permanebo. Nunc vero in describendis insectis mihi minus cognitis pergam¹⁾

In descriptionibus communicandis alio tempore pergam, quum hodie de laboribus meis nouissimis TE certiolem facere iudiciumque TVVM mihi expetere constitui.

Examinavi nempe omnia insecta mihi cognita, quorum circiter 1400 species, secundum omnes oris partes, et ex his genera condidi, vt mihi videntur, constantiora. Characteres

¹⁾ Noget over en Quartside Beskrivelser paa Arter af Tenebrio, Attelabus, Curculio, Papilio, Chrysomela.

elaboravi tam naturales quam essentielles ad normam generum plantarum, e quibus nunc characterem Scarabaei Melolonthae TIBI communicabo et iudicium summi praeceptoris submisce expeto.

Palpi quatuor inaequales filiformes.

Anteriores longiores quadriarticulati, articulo primo tertioque breuissimis adhaerentes maxillae inferiori.

Posteriores breues, triarticulati articulis subaequalibus adnati medio interno labii inferioris.

Maxilla superior brevis cornea, arcuata, inermis, apice bifida.

Maxilla inferior brevis cornea, subarcuata apice multidentata.

Labium inferius porrectum corneum cordatum.

Character essentialis consistit in maxilla inferiori multidentata. Ad hoc genus pertinent Melolontha, solstitialis, sepicola, horticola, fullo aliaque.

Responsione TVA si me beare velles, vt aut ad parentem optimum Hafniae aut ad inspectorem Birkhan Dresdae mittas velim, tunc enim tuto accipiam.

In Botanicis vnicam Targioniam hic inueni, spero tamen aestate veniente plures et muscos et plantas accipere. Sequitur simul figura animalculi istius, quod nouum genus putant Dresdenses, vt et phalaenae rarioris; quas ambas ab inspectore Birkhan communicatas accepi. Coniugem suauissimam familiamque totam nobilissimam meis verbis salutes etiam atque etiam rogo, qui semper TVAM valetudinem feruenti pectore opto.

[Uden Datum; efter Indholdet uden Tvivl fra 1766.]

(85)*

Kiliæ d. 25. Dec. 1782.

Gratissimae fuere litterae Tuæ Utrecht datae, quas hodie accepi. Gratulor reditum speroque Te aliquot dies nobiscum terere. Matutino tempore videbis Forskåhliana, videbis alia, post meridiem vero frequentabis filios filiasque regionis nostrae.

Nec via per Kiliam longior nec difficilior erit. Vt valens
 celerrimoque cursu ad nos venias opto, ego vero semper ero
 Tui obseruantissimus
 Fabricius.

An den Herrn Professor v. Linne Wohlgeb. in Ham-
 burg Abzugeben bey dem Herrn Professor Gieseke
 Franco.

Joh. Hartv. Ernst Bernstorf.

(86) Per-Illustri ac Celeberrimo
 Domino Carolo von Linné,
 Equiti aurato de Stella polari,
 S. R. M. Sueciae Archiatro, reliqua,
 S. P. D.
 Johannes Bernstorfius

Responsum ad Literas Tuas, voluntatis in me Tuae testes, die XXIV Decembris anni superioris ad me exaratas, mihiq̄e longe jucundissimas, non nisi eo consilio per aliquod tempus distuli, quod in dies plura quaedam Forskâliana, abs Te, Per-Illustris Linnaee, jure sane Tuo desiderata, e dis-sitis Orientis regionibus ad me perventura sperarem, quae, si advenissent, Tecum e vestigio et perquam lubenter communicâssem.

Spes ea me, quod impense doleo, fefellit, eandemque atrox illud, nec unquam satis deplorandum fatum, quod viatoribus nostris in Arabia, irreparabili fere rei et sacrae et literariae damno, tantopere fuit exitiale, praescindit, et utinam non plane tollere videretur.

Ut benigniorem sortem in reditu experiatur ille, qui ex eorum numero solus est superstes, idemque supellectilis literariae a reliquis conquisitae custos unicus, id vero nobis quam maxime in votis est.

Gratias Tibi ago, Vir Celeberrime, insignes pro munere Tuo Tentaminis luculenti de Opopalsamo, in quo tam splendide de Rege meo Ejusque in bonas Literas amore censes.

Ne, quaeso, dubites, me omni oblata occasione operam daturum, ut Tibi constet, quanti ego faciam illustre nomen Tuum et merita summa, quibus in Orbe erudito clares et immortalis fama clarebis. Si quid unquam erit penes me, quod Tibi acceptum fore judicabo, mihi credas, velim, ejus Te participem reddere mihi tam erit gratum, quam quod gratissimum. Vale.

Dabam Hafniæ die XXV. m. Maji, A. D. MDCCLXV.

(87) Per-Illustri ac Generosissimo
 Domino Carolo à Linné
 Equiti aurato, S. R. M. Sueciae Archiatro
 Celeberrimo, reliqua,
 S. P. D.
 J. H. E. C. de Bernstorff.

Redditæ mihi sunt Literæ Tuæ die XXIX mensis Januarii proximi ad me perscriptæ, praeclarum animi Tui in me affectum uberrime significantes, eoque mihi nomine quam acceptissimæ. Gratias Tibi ago, Vir Celeberrime, maximas, tot tantisque abs Te benevolentiae testimoniis cumulatus, easque referendi si mihi unquam occasio obtinget, me sane felicem existimabo. Pauca quippe sunt, quæ me majore voluptate afficere poterant. Quoties recordabor, meos qualescunque de literis et scientiis bene merendi conatus Tuo calculo probatos et à Te laudibus ornatos fuisse, non potero quin eas Tuæ in me Amicitiae soli gratus tribuam. Vehementer autem laetor, Te aliquo in loco posuisse paucula illa, quibus voluntatem in Te meam studiumque desideriiis Tuis inserviendi declarare volui potius quam potui; Id quidem est quod magno mihi honori duco. Tibi Tuisque usibus, Vir Clarissime, aliquid impertiri, quod ad amplificandam et illustrandam rerum Naturæ, operum Creatoris summi, cogni-

tionem faciat, id vero est ipsum sibi Orbem eruditum per Te devincire.

Aequum et justum est, ut amico Tuo hortatui ac impulsui de maturanda rerum è longinquis terrae partibus his proximis annis nobiscum communicatarum editione, quantum in me est, respondere sat agam. Nec illi curae huc usque defui; Imprimis mihi cordi est Itineris in Arabiam felicem Regis mei jussu suscepti publicatio, cui sedulò opera impenditur, licet tabularum, quae ad id opus pertinent, in aes incidendarum elaboratio plus temporis quam vellem absumat, et has quidem absolvere oporteat antequam descriptio Itineris prelo queat committi. Quam primum autem ad finem perductum erit opus, meum esse judicabo, Te ejus præcipuè participem reddere.

Dn. Königium Tranquebariae versantem, quantum potero, sublevare cupidus, operam dabo, ut is aliquando intelligat, quantum apud me valuerit Tua commendatio. Mihi credas velim, Per-Illustris Linnaee, me nec ulla alia in re passurum, ut lateat, quo ego studio Te, tanti nominis tantique ingenii Virum, prosequar, cujus monumenta praestantissima, dum bonis literis et scientiis suum constabit decus, perennabunt. Vale, Vir Celeberrime, et gloria famae, quam Tibi innumeris et immortalibus in Orbem eruditum meritis peperisti, quam diutissime fruire incolumis.

Dabam Hafniae die III. m. Martii A. D. MDCCLXX.

Johan Zoëga

f. 1742. d. 1788.

(88)* Nobilissime Domine Professor
Fautor et Amice aestumatissime.

Non quidem voluptati duco Litterarum commercia, quae non aliud continent, quam quod in plerisque deprehendi solet; ea tamen, quae pristinos in memoriam reuocant amicos, quae-

que res litterarias spectant, gratissima semper mihi fuere, magnique aestimata. At quaeris caussam, cur TIBI, prout debuissem, scribere omiserim. Iurare possum me eam reuera ignorare; id vero certissimum est, me iam ante longum tempus scribere incepisse, et vel decies mihi proposuisse inceptas litteras continuare; sed nescio quod fatum hoc noluit. Interim permultas habui occupationes et praeterea sat longum iter in Holsatiam feci. Haec vero non adduco, vt vitium, quod commisi, certe vix ignoscendum excuseam. Sed peccasse me fateor, peccatum lubenter agnosco, et peccato pro TVA beneuolentia benigne ignoscas humillimus rogo.

De TVA beneuolentia, integerrimaeque amicitiae documentis, quorum quotidie maiora maximaque, dum Vpsaliensem Auram hausì, in me contulisti, gratias ago et persoluo, quas maximas concipere valeam. Non blandior; sed certe persuadeo, me maximi semper aestimasse Amicitiam, qua me dignari voluisti, et iuro me adhuc dolere, quod nimis breue fuerit tempus, quo tam e TVA quam e Parentis optimi quotidiana conuersatione semper humanissima discere licuit. Et forte fieri potest, vt aliquando Vpsaliam iterum videam; si fata id vellent, beatum me crederem. Sed ad Decades doleo me desiderio TVO nullo modo satisfacere posse. Ex omnibus, quos noui, bibliopolis neminem inueni, qui Decadum editionem suscipere velit. Mea certa non est culpa; sed feci, quicquid in potestate fuit. Ipse, qui ob multam praxin et multos heic nouit, Dr. Fabricius Editorem TIBI procurare frustra quaesivit. Hinc duo TIBI proponam, nempe aut Icones heic sculpi cures, dum singula Decas 25—30 Ducatos constabit, aut exspectes, vsque dum amicus Fabricius natu maior proximo Paschatis Festo Belgium adierit, vbi certissime Editorem inueniet. Fac iam, quicquid placuerit. Me paratum inuenies ad omnia praestanda, quae in mea sunt facultate.

Parenti Optimo ante Festum scripsi et misi Plantas paucas mihi obscuras, incertas vel ignotas. Accepisse eum audi magnam collectionem plantarum rariorum. Optarem iam esse Vpsaliae, dum certus scio, multas eum accepisse

superfluas¹⁾ Vale iam et meis verbis salutem dicas Parentibus sororibusque nobilissimis, mihique fauere numquam desine, vt TIBI

Hafniae	obstrictissimo, deuinctissimo
d. 27 Januar.	J. Zoëga.
1765.	

(89)* Nobilissime Domine Doctor et Professor,
Fautor et Amice aestumatissime.

Nescio an ad vltimas meas responderis, necne. Iterum tam longum est tempus, ex quo TVAS viderim litteras, vt ad TE scribere diutius differre non possim, sperans fore vt et post haud multas hebdomades responsionem exoptatam habiturus sim. Et nisi plura ad scribendum me stimulent, hoc vnicum sufficeret, quod Doctoris gradum, iam diu pro-meritum, assumisise TE audiuerim. Gratulor ideo de assumto hoc honoris gradu et opto vt mox maiores et plures eum sequantur.

Mitto TIBI heic horti nostri Catalogum et eum quidem in finem, vt mutuam plantarum communicationem, si ita placeat, inire possimus. Videbis iam ex hoc catalogo, quasnam plantas hortus noster foueat. Si itaque mihi indicare velis, quatenam ex his plantis TIBI deficerent, et quasnam e vestris, quas non habemus, nobis mittere velis, nos ad tale commercium paratissimos inuenies. Nec dubito, quin et TIBI gratum hoc fuerit, quum unica fere et optima haec sit via ad augendas hortorum gazas. Mittam ego tam semina quam radices, si modo nobis in duplo sint. Opus vero est, vt Catalogum nostrum legere possis, hinc eius rationem dabo. Numeri typis expressi indicant paginam specierum plantarum editionis alterae. Numeri adscripti indicant numerum speciei in hac pagina. Si vero plura genera in eadem pagina exstant, ideoque facile fit, vt pluribus speciebus idem sit nu-

¹⁾ Om Bytning af Planter.

merus, vt pag. 30 Ziziphora et Amethystea, tum illi, quae in hac pagina superior est, numerus dictus solito modo supponitur, itaque pag. 30 1. erit Ziziphora; numero vero alterius speciei praeponuntur duae lineae horizontales, tertiae tres et sic porro; e. g. p. 30. = 1. Amethystea.

Elmgrenium nostrum mortuum esse cum dolore percepi. Sed quid facit Karamyschew? an adhuc apud vos est? Melioris eum credidi animi, quam reuera reperio. Nondum mihi scripsit, quamuis sancte id promiserat. Quota pars Decadum TUARUM iam prodiit? Num spes est nouam editionem Materiae medicae videndi? Audiui collegium Diaeticum Parentis optimi in lucem prodiisse; an ita est? Respondeas quaeso ad has quaestiones. Ignoscas vero rogo, quod has litteras ad TE mitto, quippe quae impensa TIBI faciunt nimis multa. Litteras ad Parentem optimum ipsi tradas rogo. Valeas, mihi faueas, TIBIque persuadeas me numquam non futurum

Tui

Hafniae d. 26. Octobr.
1765.

obseruantissimum
J. Zoëga.

(90) Hafn. 27 Octob. 1765. . . . Quod me ipsum attinet, quodque TIBI summo in me fauore ingratum haud fore auspico, hoc est, quod iam optatissima mihi data sit occasio plura in scientia Botanica, quam reliquis longe antepono, proficiendi, et simul horticulturam addiscendi. Amanuensis enim Oederi factus vices eius, dum ob Florae Danicae collectionem absens esse cogitur, agere et horti curam habere mihi incumbit, nec non praesenti opem necessariam praestare. Augeri quotidie in horto nostro plantarum numerum laetor, nec certe omnes vulgatissimae aestimandae. Accepimus et quotidie accipimus plantas et semina ex Hollandia, Anglia, Gallia, Hispania, Italia et Germania, et remittimus quaecunque nobis superflua sunt. . . . Sed quando Systematis Naturae nouam editionem videre dabitur? Ambabus manibus eam exspectamus. Quaerunt a me quotidie Historiae naturalis amatores et collectores, quorum numerus heic certe

magnus est, quando opus hoc incomparabile, quo diu carere non possumus, expectare liceat. Ex Arabia nil noui habemus. Mathematicus adhuc ibi circumuagatur, sed dubito, quin Naturalia collecturus sit. Meyerus iam puellam amplexus est, et simul collectionem naturalium pulcram et Bibliothecam instructam obtinuit. Occupatus iam est naturalibus suis secundum Systema naturae determinandis et disponendis. Fabricius Lipsiae omne tempus historiae naturali et huic superstructae Oeconomiae ductu Schreberi dicat. Kuhn per hyemem Edinburgi commorabitur, et aestate post assumptum Doctoris gradum Parisias abit. Historiae naturali se plurimum temporis dare mihi persuadet. Ego heic Botanicae praesertim studeo, nec reliquas diuinae scientiae partes negligo; quod reliquum temporis medicinae dico, fatum mihi destinatum exspectans. Tempestas semper pluuiosa Herborisationes meas impediuit, hinc nimis paruum incrementum accepit Cryptogamia mea.

(91) Vir generose,
Fautor ad cineres colende.

Dolens certe audio, quod tam tarde succedat Systematis undecima editio; quotidie enim eius defectum experior.

Centaureae, quam in meam memoriam cognominare uoluisti, florem certe optimum et fere unicum quem possideo, TIBI mittere non dubitauit. Propositum erat totam plantam, cui adhaesit hic flos, mittendi; at defuit huc usque occasio. Si uero ita placet, reliquum plantae mittam, ut hunc florem in loco suo adglutinare possis. Quod eam in mei honorem cognominare uelis, gratias TIBI ago summas et maximas, quippe qui gratiae et fauoris, quo benignissime me dignari uoluisti, perpetuitatem inde sufficienter perspiciam. At quo magis quotidie de defectu meo in scientia botanica convincor, eo magis tali honore indignum me video.

Ratione Florae Danicae, duplici modo eam citari posse credit Prof. Oeder; ita nempe, ut aut mox post differentiam specificam ponas Oed. Dan. F.; aut post nomen, quod in

Oederi nomenclatura primum est, autorem huius nominis apponas, antequam Oederi tabulam cites, e. g. *Gentiana XI. Clusii. Oe. Dan. F. XVII*, nec *Gentiana XI. Oed. Dan. F. XVII*.

De frustulo Ligni Quassiae gratias ago.

Regenfusii operis pars altera varia Conchylia eadem methodo ac prior continebit. *Mirror*, quod Fabricius non scripserit.

Quid de Kuhnio sperare licet? an Professor Botanicæ Philadelpiæ erit? Ego iam vltra dimidium annum eius litteras non habui.

Plantas novas non vltra 5 vel 6 heic habuimus, quarum omnium semina TĒcum lubentissime communicabimus.

Mitto heic primas paginas Elementorum Botanicorum Oederi, quae eius dispositionem Florae Borealis secundum familias naturales continet. Quam primum iterum occasio per mare erit, totam partem secundam mittam. Noui litterarii heic nil habemus, nisi quod quidam Consiliarius a iustitiis, Medicinæ Doctor, et professor Botanicæ olim in Academia Soroeana, nomine Holm opus certe accuratissimum et pulcherrimum sed et pretiosissimum editurus sit, quod continebit omnis generis Fungos praesertim minimos summo studio delineatos ab initio progerminationis, quantum fieri potest, vsque ad destructionem.

Koenig, qui in Islandia Plantas ad Floram Danicam colligendi causa fuit, iam rediit, et varias plantas secum attulit certe pulcras, quas novas credit. Spero vt et harum semina pauca TIBI mittere possim. Fucorum praeterea magnum numerum nec non aliquot Mollusca et mineralia varia, praesertim Zeolithum et Spathum duplicantem attulit, quae tamen nondum vidi.

Commendes me quaeso in gratiam Nobilissimae D:nae Vxoris et honoratissimae reliquae familiae. Valeas diu faustus felix et incolumis, mihiq̄ semper faueas. Ego, dum viuo, numquam non futurus sum,

TIBI

Hafniae d. XXV. Ianuar.
1766.

obstrictissimus, deuinctissimus,
J. Zoëga.

(92)* Praenobilissime Domine Professor
Fautor et amice aestumatissime!

Ad gratissimas TVAS breuibus tantum respondere tempus est, hinc calamo properanti ignoscas rogo.

Quod catalogus noster TIBI placeat laetor; iam duo eius exemplaria mitto, si plura cupis, TIBI ex iussu erunt. Quaeris quomodo Fabricius valeat. Bene valet et degit Lipsiae. Fasciculus Florae Danicae non illuminatus constat 5 thaleros danicos seu 2 nummos aureos, species nempe sic dictas; illuminatus constat X thaleros. Quintus fasciculus accidente vere prodibit. Sarraceniā et in nostro horto habere optarem. Kuhnio haud longam vitam praedico, quamvis opto. Nimis est plethoricus et a venaesectione abhorret. Si placet, remittas mihi vnum e missis catalogis, quo, quae in vestro horto sint, adscripseris, vt videamus, quae semina vobis mittenda, quaeque a vobis speranda. Mox enim tempus erit semina anni praeteriti perlustrandi, et communicandi. An a Meyero litteras habes. Certe bene valet in superlativo. Uxor eius pulchella, vt credere fas est, iam grauida circumambulat. Valeas felicissimus, mihique faueas. Sum et semper ero

Hafniae d. XXV. Ianuar.

1766

TVI

cultor obseruantissimus

J. Zoëga.

Raptissime, quod quaeso ignoscas; agglutinandis herbis vltra ter mille occupor.

(93)* Praenobilissimo, Eruditissimo Dno Doctori
ac Professore a Linné

S. pl. d.

Zoëga.

Litteras gratissimas vna cum seminibus accepi. Gratias de vtrisque ago summas. Mitto iam seminum, quae desiderasti, omnia quae nobis sunt, et praeterea aliquot, quae

non ingrata fore putavi. De reliquis Plantis quas desiderasti habebis, si fieri potest, quod credo de plerisque, ipsas radices. Scias tamen, plurium, quas e Belgio accepimus, nobis non esse nisi vnicum indiuiduum, et de his, si modo aestate futura semina maturauerint, in posterum ea habebis. Iam vero simul mitto catalogum aliquot plantarum, quas in horto nostro videre optarem quasque vobis esse scio. Speramus de vestra benignitate, ut hortum nostrum adhuc in incunabilis iacentem ad maturiorem aetatem perducere iuuaturi sitis, et paruulum nostrum plantarum numerum, quantum fieri possit, aucturi; non respicientes ea, quae a nobis accepta aut exspectanda sint. Nostrum vero semper erit quocunque modo gratiam vestram agnoscere, gratosque nos praebere. Valeas, faueas. Dabam Hafniae d. XIV Martii 1766 properante calamo, cui ignoscas.

Polliceris mihi Parentis clavem Medicinae et dissertationem de purgantibus indigenis, de quibus summas TIBI reddo gratias; liceat vero adhuc tertium rogare, nempe dissertationem de Sirena Caroliniana. His tribus si me donare velis, mittas ea quaeso Holmiam ad Dominum Koustrup, Consul et conseiller de commerce du Roy de Dannem. quam prima occasione, summo enim desiderio ea legendi flagro.

(94)* Viro Nobilissimo, Eruditissimo,
 Domino Professori a Linné
 Patrono et amico aestumatissimo
 S. pl. d.
 J. Zoëga.

Ad litteras TVAS humanissimas, acceptissimas, dudum respondi, nisi huc vsque varia me abstinuissent. Vt de hoc TIBI persuadeas, scias Fabricios ambos hoc tempore Hafniam, Parentem et amicos reliquisse, meliores petentes regiones, amicos peregrinos, solidioremque doctrinam quaerentes. Quod Decadum editorem, quem pro voto meo procurare TIBI non potui, Lipsiae acceperis, TIBI gratu-

lor....¹⁾ Amicus noster Sedinensis Meyer d. XI Iunii puellam, vt dicit; pulcherrimam et sine dubio ditem amplexurus est. Nomen illi est Beurerin, Patria Norimberga. Aestuante et fervente videre optarem; nonne et ipse hoc optares. Felicem se iam existimat, et fortuna contentus est, hinc felicissimum credo. Sed TV quid agis? Nonne et mox TIBI pulchellam amplecturo gratulandum est; fac vt de TVA fortuna laetari liceat, quemadmodum iam de Meyeri sorte laetor. Fac dum tempus est, et credas periculum esse in mora, ne, cuius auctor summus est parens optimus, nobile hoc genus Tuum pereat. Parentem optimum, quem Patris loco venerari numquam desinam, meis verbis salutes rogo. Salutes et matrem generosam, sororesque amabiles. Valeas ipse. Hafniae d. XI. Maii 1766.

Kongl. Msts. Troe Tjenere Professoren Vaelborne Herre
von Linné a Vpsala
fri bref

(95) Hafn. d. XIV. Iunii 1766. — Mitto praeterea literas a Dno Fabricio mihi missas, et alias a Koenigio datas cum subiunctis descriptionibus rerum quarundam naturalium Islandicarum..... Hisce praeterea adiuncta est pars altera fundamentorum Botanicorum Cl. Oederi. Hic iam Florae causa in comitatu Oldenburgensi et Delmenhorstensi circumfertur. Hinc in eius absentia non modo horti inspectionem habeo, sed et publicas praelectiones et herbationes hebdomade praeterita incepti..... De Collectaneis Forskâhlianis omnes iam silent, nec verbum de iis audio, nec scio vbi sint aut quomodo. Brünnichius nondum factus est Professor, sed iam peregrinatur, et redux fiet Professor Oeconomiae in Academia, non vero regius, vti olim B. Holm.

(96) Hafn. d. XXVI Iulii 1766. — Quod Oederum ita allegaturus sis, vti ille optat, pergratum mihi est. At et

¹⁾ Om Sendinger af Frø og Planter og om at Holm vil udgive et Svampeværk.

multo magis optarem, vt aliquando meliorem de eo conceptum TIBI facere velles, quippe qui certissime non modo optimi est ingenii et animi candidissimi, sed et solidam scientiae, quam profitetur, cognitionem possidet.

(97)* Praenobilissimo Dno Professore a Linné

S. pl. d.

J. Zoëga.

Omni certe iure miratus sum, quod ad ultimas meas cum seminibus missas nullam abs TE acceperim responsionem. Iam vero multo magis miror, quod litteras vna cum seminibus missas accepisse TE neges, et fateor me nescire quid hac de re cogitandum. Mittebas mihi aliquot semina, vna cum Catalogo eorum, quae a me desiderabas, et plura semina postea mittere promittebas. Ego vero quaecunque e desideratis habui, et plura alia non desiderata mittebam, vna cum litteris et catalogo eorum, quae a TE iterum accipere optarem. Horum aduentum mihi annunciauit pater venerandus; at abs TE nec responsionem accepi, nec seminum desideratorum vnicum vidi, et nequidem eorum, quae mihi in priori epistola promiseras. Hinc iudices quaeso, an fas sit mirari necne?

De re botanica nil noui habeo, nisi quod Schreberus tam botanicam quam oeconomiam graminum descriptionem cum iconibus editurus sit.

Vale et faue. Dabam Hafniae d. XXVI. Iulii 1766.

Nobilissimo Dno Professore a Linné Iuniori.

(98)* Viro Clarissimo, Eruditissimo

Domino Professore a Linné

S. pl. d.

J. Zoëga.

Sunt iam tres menses, ex quo TVAS gratissimas vna cum Parentis venerandi litteris acceperim, ad quas tam sero

respondens non possem quin aliqualem Vestram pertimerem indignationem, nisi de solidiori fauore et indulgentia Vestra certissime essem persuasus.

Quod nec meam epistolam nec Catalogum desideratorum his subiunctum acceperis credere fas puto, quum illud in litteris suavissimis neget. Interim hoc doleo, certissime persuasus, quod, si illas accepisses, tanto maior pulcriorum plantarum numerus in horto nostro per aestatem floruisset. Iam promisso TVO eiusque explemento fretus mitto enumerationem plantarum, quas ex horto Vestro habere optarem, et simul Catalogum earum, quae aestate præterlapsa in horto nostro partim florere partim viguere. Si quae vobis sint, quae non in hoc Catalogo continentur nec inter Desideratas enumeratae sunt, et hac nobis erunt pergratae¹⁾

Vale et faue. Dabam die XII. Septembris. CIOICCLXVI.

Clarissimo Professore a Linné, Iuniori.

(99) Hafn. d. XII. Sept. 1766. — Inter nouissima, quae nec TIBI ingrata erunt, haec habeo, quod clementissima nostra Regina, quam nuper ab Anglis accepimus, scientiam Botanicam summe amet eiusque protectricem et promotricem se praebitura sit,

(100) Generosissimo Dno Equiti et
 Archiatro Regio C. a Linné
 Fautori suo summe venerando
 S. pl. d.

J. Zoëga.

Causam retardati responsi ad vltimas TVAS humanissimas in litteris ad filium Clarissimum his inclusis scripsi. Ad hanc accessit, quod ante octiduum, quum his conscribendis

¹⁾ Om Cataloget og en Planteliste.

occupatus essem, Regina nostra clementissima hortum nostrum praesentia Sua beare dignata sit, quo fiebat, vt a scribendo abstinerer. Litteras Fabricii et Koenigii, quas ante aliquod tempus ad TE misi, accepisse TE spero.

Noua litteraria, quae scribam, vix habeo. Fl. Danicae fasc. VIus post paschatis festum apparebit. Ascanius Icones et descriptiones dabit ad Zoologiam pertinentes, sed nescio, quando prima Decas perfecta fuerit. Fabricius nunc in Belgio est. Hoc vero relicto in Angliam profecturus est, vbi iam per dimidium annum eius frater commoratus est. Brünnichius iam in Gallia haeret et forte Hispaniam videbit. Oederus Florae caussa per aestatem in Holsatia commorabitur. De Koenigio adhuc nil certi conclusum est. Ferber Berolini est, Lipsiam mox videbit, et inde in Belgium profecturus est. Mox vltimum superstitem e missione nostra Arabica reducem exspectamus.

Gratulor mihi summopere, quod Vxor generosa filiaeque TVAE nobilissimae grata sua memoria me dignari velint, et persuasum habeas velim, me nec eorum, quae Illis debeo, beneficiorum, nec innumerabilium eorum, quae a TE quam humanissime in me collata grata memoria recordor, vnquam immemorem fore. In Gratiam fauoremque Vxoris venerandae filiarumque nobilissimarum me commendare velis etiam atque etiam rogo. Ac, si liceat rogare, vt data occasione hospites nostros Haggbyenses cum omnibus huc pertinentibus, meis verbis amice salutes quaeso. Perplacuit mihi horum simplex sinceritas, et bene illis omnia succedant, toto pectore certe opto.

Ceterum vero vt ipse optime et diutissime valeas sincerimus opto. Dabam Hafniae d. XI. April. 1767.

à Monsieur Monsieur de Linné Chevalier, Archiatre,
Docteur et Professeur en Medecine et histoire naturelle à
Vpsala

Fri Bref

(101)* Praenobilissimo Dno Doctori ac Professori
 C. C. a Linné
 Fautori suo aestumatissimo
 S. pl. d.
 J. Zoëga.

Nimis forte sero ad Te veniunt hae meae Litterae, sed culpam eius in me non esse persuasum habeas. Expectauimus plura semina ex Anglia, Belgio et Hamburgo, quae omnia nescio quo fato huc vsque nondum aduenerint. Hinc mitto Catalogum eorum quae habemus, rogans vt ex his eligas, quaecunque tibi grata esse possint, mihi que quam primum poteris eorum enumerationem mittas, quum et ego aequae mox omnia ea mittam, quae ex desideratis nobis in tanta copia sint, vt partitionem sinant...¹⁾ Dabam Hafniae d. XI. April. Ao. 1767.

Nobilissimo Dno Doctori et Professori a Linné, Filio.

(102) Generosissimo ac Praenobilissimo
 Dno C. a Linné
 Equiti Aurato, Archiatro Regio, Doctori ac
 Professori celeberrimo;
 Fautori ac Praeceptoris suo ad cineres colendo
 S. pl. d.
 J. Zoëga.

Vt maximo TVO desiderio satisfaciam, priusquam ad reliqua Litterarum TVARVM respondeam, de famosa Thea Roeskildensi certiore TE faciam. Nil vero mihi gratius foret, quam TIBI praesentiam verae Theae ab omnibus desideratissimae in patria nostra annunciare, nec certissime, si vera esset Thea, tam diu tacuissem. At proh dolor! famosa illa et tam laudata Thea non solum non est Thea, sed ne quidem alia rarior frutex. Est enim Veronicae spicatae species, et quantum e speciminibus nimis paruis videre licuit

¹⁾ Om Sendinger af Frø og Planter.

erit nostra Thea. Veronica maritima. Sed certissime quaeris, quomodo fieri potest, vt Veronica maritima pro Thea vendi posset? Quod vt videas integram Theae Roeskildensis historiam narrabo. Vir ille, qui in Horto suo hunc Thesaurum habere putavit, ex iis est, qui vinum adustum diuendunt, et vilioris generis homines hospitantur, quos inter praesertim sunt, qui e Bohemia aduenientes vasa vitrea vendunt. Horum quidam credulo huic viro plantam pro vera Thea dederunt, et vti in nouellis legitur, persuaserunt, eam e China esse allatam...¹⁾ Vnicus ille infelicis nostrae legationis superstes Dn. Niebuhr nondum aduenit. Goettingae iam esse dicitur. Fabricius cum fratre suo relicto Edinburgo iam Londinum petit. Brännichius Italas perlustratur terras, meque oportet quiescere Hafniae.

Viuas sospes ac felicissimus, fautor optime, honoratissime, amatissime. Salutes rogo illustrem Dominam, nobilissimasque filiolas. Haggbyenses omnes, bonos illos bonasque, salutare, si ita licet, oro. Valeas iterumque valeas!

Hafniae d. XXVI. Septembr. 1767.

(103)* Praenobilissimo, Eruditissimo
Dno Doctori ac Professori C. a Linné
Fautori amicissimo
S. pl. d.
J. Zoëga.

Accepi dissertationes illas parentis TVI venerandi, quas nuper mihi mittere benigne voluisti, et maximas de iis gratias ago. Flagro et flagramus omnes desiderio videndi Regnum vegetabile systematis noui, nec spes nobis est, futurum hoc ante quam hyeme praeterlapsa; hinc ad TE me conuertere audeo, nullus dubitans, quin pro TUA, quam veneror, amicitia precibus meis nunc subiungendis aures praebiturus sis.

¹⁾ Plantediagnoser og om Senderinger af Planter.

Oro nempe vt Regni vegetabilis 1. 2. vel 3 Exemplaria prima data occasione haud nimis sumtibus coniuncta, Malmogam ad D. Doctorem Acrell mittas; rogesque vt mihi illa quam primum poterit directe per mare mittat. Quod Librorum vel Exemplarium horum pretium reliquosque impensus attinet, omnes et singulos quam primum de quanto me certiore feceris TIBI cum maxima gratiarum actione remittam. Si vero nulla TIBI est spes, vt has meas preces implere possis, rogo quam maxime, vt mihi hoc rescribas; tunc enim alia via tentanda. Valeas, optime valeas, mihiq̄ faueas. Hafniae d. XXVI. Septembr. 1767.

(104) Generosissimo Dno Archiatro a Linné
Fautori suo ac Praeceptorī aeternum amando
S. pl. d.

J. Zoëga.

Labores mei quotidiani innumera, quae in me contulisti beneficia, in memoriam mihi semper reuocant, hinc fieri numquam poterit, vt TIBI immemor vel ingratissimus viuam. Multo magis grato quotidie recordor pectore, quod TE duce, TVAque humanissima instructione aptus euaserim iis satisfacere laboribus, quibus interesse contigit...¹⁾

Naturalia Forskåhlīana descripta fore credo, sed quando et quomodo vix dicam; ego eorum nulla adhuc vidi. De absoluto tertio systematis Tomo TIBI laetus gratulor, sinceroque pectore opto, vt tamdiu sospes ac incolumis viuas, vt saltem tredecimam systematis editionem orbi curioso communicare possis. Litteras TVAS Müllero iam tradi curauī. Vale, meque TVO fauore semper dignare.

Hafniae d. 1. April. 1768.

¹⁾ Om Sendering af Fro.

(105) Viri Illustrissimo, Generosissimo
 Dno Archiatro a Linné
 Fautori suo, Patrono ac Praeceptorī maxime
 venerando
 S. pl. d.
 J. Zoëga.

.....¹⁾ Koenig iam in Madera fuit; plura vero de eo non noui. Opus Consiliarii Holm de fungis mox prodibit. Ascanio Rex clementissimus quotannis centum thaleros Bibliothecae ad Regn. Anim. et Mineral. spectantis instruendae concessit, et bis centum thaleros pro pictore, vt inceptum opus, quod uidisse TE spero; perficere possit. Fieri etiam potest, ut in Noruegiam Historiae naturalis causa profici-scatur. Naturalia Forskåhlīana ipsi tradita sunt omnia; quid porro de iis fiet ignoro. Niebuhr proprias obseruationes ad Mathesin et Geographiam spectantes separatim editurus est, et iam in eo laborat. Plura noua litteraria me fugiunt..... Hafniae d. VIto Martii 1768.

(106) Generosissimo ac Praenobilissimo
 Equiti a Linné
 Fautori suo venerando
 S. pl. d.
 J. Zoëga.

.....¹⁾ Mitto simul, iussu Fabricii, muscos quosdam, quos in Anglia legit et nouos credit. Fabricius hic noster iam ex gratia Regis nostri clementissimi Professor Oeconomiae et Historiae naturalis denominatus est, simulque veniam accepit itinera sua continuandi. Erit itaque Ascanii collega, et beati Holmii locum replebit. Dabam Hafniae d. 7mo Maii 1768.

¹⁾ Om Sendinger af Planter.

(107) Viro Generosissimo, Equiti splendidissimo
 Carolo a Linné
 Praeceptorum ac Fautori suo ad cineres colendo
 S. pl. d.

J. Zoëga.

...¹⁾ Fabricius iam Parisiis degit, fratremque eius re-
 uenturum post paucas hebdomades heic exspectamus. Koe-
 nigius iam sine dubio in loco destinato est... Hafn. II.
 Decbr. 1768.

(108)* Prænobilissimo Dno Doctori et Professore a Linné
 Fautori suo aestimatissimo
 S. pl. d.

J. Zoëga.

Per integrum fere annum ne unica quidem littera me
 beasti, cuius silentii causam explorare non valeo, nisi ea
 sit, quod praeterito anno plura semina mihi mittere promi-
 seras, nec promissum impleveris: Mitto iam iterum catalogum
 seminum nostrorum pro hoc anno, et vt inde eligere et me
 quam primum fieri possit, certiore facere velis quae Tibi
 grata sint, rogo, sed simul non possum non summopere a Te
 expetere, vt plantarum nostrarum numerum rarioribus vestris et
 pulchris, quae nobis defecerunt, plantulis augeas. Praesertim
 opto Forskåhlianarum, alpinarum et Sibiricarum, et scio Tibi harum
 magnum esse numerum, sed ignoro, cur eas semper retines,
 nec nobiscum communicare velis, quum e contrario nos quae-
 cunque nobis sunt rarissima lubentissime mittamus. Has
 preces saepe repetitas nunc reitero, sed surdus ad eas mihi
 semper visus es. Tentabo e rarioribus vestris, quae vobis esse
 scio, quaedam enumerare...¹⁾

Ecce multas et pulcras plantas, quas in horto nostro
 videre optarem, et quarum communicationem duplo numero
 remuneraturum me promitto. Exspecto adhuc semina a Dno

¹⁾ Plantefortegnelser.

Gouan, Dn. Barnades, et e horto Parisiensi, nec dubito, quin et inter haec quaedam sint, quae Tibi desunt. Rariora saltem communicabo, si modo non nimis auarum mihi Te prae-bueris.

Parentem optimum, Matrem venerandam, Sororesque amabilissimas meis saluta verbis, ipseque optime et ter optime vale, mihiq̄ faue. Hafniae d. X. Februarii 1769.

(109) Equiti Illustrissimo,
 Dno Archiatro a Linné
 Patrono ac Praeceptorī suo ad cineres colendo
 S. pl. d. ac de incepto nouo anno
 sincerrimis gratulatur votis
 J. Zoëga.

Quod ad litteras binas humanissimas iusto serius respondeam, excuses millies rogo. Quod praecipuum posterioris erat Epistolae, in caussa fuit retardatae responsionis. Et Koenigius, et cui litteras cum plantis ad TE dederat Dux nauis ex Indiis redeuntis, crediderunt Koenigio non licere, vt plantas 1: naturalia quaecunque aliis quam iis a quibus missus est, daret, hinc post diurnam inquisitionem demum tantum expertus sum, litteras Koenigii vna cum plantis traditas esse Commissario, vt dicitur, vestro in vrbe Helsingoer, qui Bahnsen dicitur, huncque litteras per tabellarium publicum, plantarum fasciculum vero per mare ad TE misisse, hinc nullus dubito, quin posteriorem mox accepturus sis. Ceterum Plantas Koenigii aliis negotiis occupatus nondum examinare potui, quasque vidi, his nulla adscripta erant nomina.

Diligentissimus certe est Koenigius, at sorte sua non erat contentus, dum primum in Indiam venerat. Iam vero cura Cl. Oederi factum est, vt Historicus naturalis regius declaratus sit, et praeter salarium, quo tanquam medicus missionis fruitur, quotannis 180 rdlr. a rege ipsi concessa sint. Nec satis TIBI laudare possum sinceritatem integritatemque

Oederi nostri, hinc et laetor quod amicitia eum amplecti velis et polliceor TE si alium hunc certe ea dignum reperturum esse. Salutare TE iussit, et gratias summas mittit, quod Botanicorum Honores et ipsi tribuere velis. Quam vero plantam eius nomine appellare TIBI placuerit, perinde sibi esse dicit, ceterum certus eam fore distincti generis . . . ¹⁾ Plantas Forskählii Descriptionesque pulchras et accuratas paulisper perlustraui, quando vero manuscripta eius in lucem prodibunt, haud dicere valeo. Salutatur Fabricius, qui una cum Brännichio rediit. Vale et fauere perge. Dabam Hafniae d. VIII. Ian. 1770.

(110)* Professori Nobilissimo a Linné

Fautori ac amico aestumatissimo

S. pl. d.

J. Zoëga.

Mitto iterum catalogum seminum nostrorum, rogoque, vt ex his eligere velis quaecunque TIBI placuerint, mihi quam primum fieri poterit litteris haec indicare. Oro rogoque simul, vt quae rariora in Catalogo nostro desiderantur, quibus hortus vester prae ceteris superbit, mecum communicare velis. Quod si feceris, remittam TIBI ex desideratis quaecunque poterò, et pleraque semina, quae ex Indiis a Koenigio nobis missa sunt.

Caldarium nostrum fouet Bulbosam Capensem rariorem, quae Fabricio in Enumeratione Hort. Helmst. p. 23. Scilla radice solida corymbo contorto conico audit, quaeque certe noui generis est. Planta haec pulcra nobis praeterito anno floruit et nunc iterum floret. Delineari eam curavit Oederus et iconem una cum seminibus parenti optimo transmissurus est Oederus, et si quam plantam eius nomine insignire velit, hanc prae ceteris eligi optat. Vale et faue. d. 16. Febr. 1770.

a Monsieur Monsieur a Linné Docteur et Professeur
en Medecine et histoire naturelle à Upsala
fr Elseneur

¹⁾ Om Sendinger af Frø og Planter.

(111) Equiti Illustrissimo C. a Linné,
Patrono ac Praeceptorī suo ad cineres colendo,
S. pl. d.

J. Zoëga.

Mitto demum semina desiderata, Koenigianaque omnia quae possideo, toto pectore optans, vt TIBI grata voluptatique sint, et bene germinent. Quod ad hortum nostrum, hic iam in lethargo jacet, et mox destructum eum visuros nos metuimus. Locus, quem occupat, aptior videtur mercatorio vsui, hinc primum de translocatione horti in alium locum agitabatur. At quum haec nimis comitata erāt impensis, nunc fere conclusum est, vt hortus plane destruatur, nobisque prohibitum vltcrius in operationibus nostris progredi. Sic quotidie fatum rei botanicae nostrae expectamus. Interim Floram Danicam colligere et publici iuris facere continuabit Oederus; quid vero de me fiet, nescio. Vereor autem, ne Florae Faunaeque valedicere cogar.

Florae fasciculum nonum cum tractatu politico, quem praeterito anno conscripsit, mox mittet Oederus, hisque additurus est delineationem Bulbosae, quam Aletris speciem esse putas...¹). Muscos certe adhuc amo, et vbicunque possum colligo; sed cui iam vsui? Fabricius missurus est collectionem paruam insectorum, quae noua putat, quam primum nempe poterit. Relatio de Gallorum peregrinatione in Noruegia falsissima est, et auctorem habet Dnum Bomare, qui se unicū historicum naturalem putare videtur. Vale et fauere perge.

Hafn. d. 12. Maij 1770.

(112) Equiti Illustrissimo a Linné
S. pl. d.

J. Zoëga.

Tandem ad humanissimas Tuas respondere tempus videtur, quum horti fatum meumque simul decisum sit. Factum

¹) Om Senderer af Planter.

nempe est, quod antea dixi; placuit regi augustissimo hortum maiorem dono dare Collegio quod Commerciorum causas agit, minorem vero cum contentis omnibus, librorum collectione pulcra, et quae reliqua ad hortum pertinebant, academiae, quae hortulum qui in regione aedificiorum academicorum situs est, de novo instruit, aedificia necessaria paruuloque horto accommodata exstruit, quaecunque in horto nostro sunt illuc transportabit, et hortum ipsum, muro circumdatum publice vendet. Itaque paucis destruitur diebus, quod multorum annorum labore et sudore exstructum est, et horum omnium autor dici potest Frisius, qui Professor Botanicus hucusque nomine tantum fuit, nunc revera erit. Mihi nil aliud superest, quam historiae naturali aeternum valedicere, inscio quid de me tandem fiet.

Ferberus, qui ante aliquod tempus apud nos fuit, accepit a Fabricio thecam insectis rarioribus novisque refertam Tibi e Carolicrona transmittendam; et ab Oedero Florae Danicae partes quasdam aliaque, quae inter erat Delineatio plantae, quam Aletrin putas, et cuius capsulam seminalem hisce includo.

Fabricius in itinere oeconomico per Holsatiam et ducatum Slesvicensem occupatur.

Vale meque omnibus qui mihi fauent commenda. Dabam Hafn. d. 18. Augusti 1770.

à Monsieur Monsieur de Linné Chevalier, Archiatre,
Docteur et Professeur en Botanique et Medecine à Upsala
fr. Elseneur

(113) Equiti Illustrissimo a Linné,
Patrono ac Praeceptoris suo numquam non
venerando

S. pl. d. ac de nouo gratulatur
anno

J. Zoëga.

Nescio, quas TIBI persolam gratias, quod de me meisque fatis tam sollicitus sis; summas certe, quas capere possit mens gratissima, hisce habeo, dico, persoluo. Hortus certe

destructus est, eiusque reliquiae appropinquante vere in minorem illum academiae proprium transportabuntur. Occupamur, Oederus et ego, amici inseparabiles, iam rebus politicis, hisque tam mihi quam illi vita consumenda videtur. Ille nuperrime locum obtinuit in commissione sic dicta, quae etiam nuperrime a Rege clementissimo instructa est, ut rem rusticam rusticorumque miseram sortem meliorare et emendare curet; dicitur nobis haec General Landvæsens Commission. Characterem praeterea Consiliiarii a Financiis (Finance Raad) ipsi concessit Rex, et salarium 1000 Thalerorum imperialium dedit. Me quod attinet, ducenti Thaleri, quos antea habui, mihi conseruati sunt, et iisdem rebus, quibus Oederus, occupor, ei ad manus semper futurus, usque dum munus aliud maiori cum salario mihi ex promissis Regiis, hisce primum diebus datis, traditum fuerit.

Oederus aetatis elapsi partem inter rusticos inoculationi luis pestiferae, quae pecorum integros greges deuastat, plantisque in floram colligendis dicavit; prius quidem minori cum successu factum est. Litterae ad Koenigium mittendae nimis sero ad me veniebant, naues enim Indiam petentes iam erant in itinere; prima vero occasione eas transmittam. Boracis ortum a Koenigio detectum esse, mihi non notum est, pro certo vero haec affirmatur, esse eum artis, non naturae productum. Muscum Noruegicum seminibus ex alis foliorum, quem depinxit in Flora Oederus, nec viuum nec siccum vidi; singulare certe est. Fabricius noster hodie, dum frigus intentissimum est, Holsatiam petiit, nuptias ibi celebraturus. Principis vestri heredetarii Medicus et Archiater Dahlberg apud nos fuit, eiusque conuersatione eo praesertim delectabar, quod de TE TVISque cum eo loqui possem. Ultimum denique mitto semina pauca, at omnia quae colligere potui, sperans optansque, ut nec grata tantum TIBI sint, sed et gratissimi mei animi, numquam eorum, quae TIBI debeo, immemor, praebeant documentum. Seruet TE Deus incolumem, in scientiae, patriae, Tuorumque emolumentum; hisce TVIS, vxori, filio filiisque me commendes quaeso. d. 12. Ianuarii 1771.

Joh. P. Falck.

(114) St. Petersburg d. 3 Novemb. 1766. — Hur går det med salig Prof. Forskåhls österlandska skatter? Är någon anstalt ännu gjord till dess publicerande? Jag skulle väl ej förmoda och än mindre önska, att den narraktige Kratzenstein fått dette arbetet på sin lätt. Jag hört så mycket dårskafer efter honom här i Ryssland, då han var här vid academien, at man af långt mindre omständigheter kunde förklara honom for en complet gäck¹).

P. F. Suhm

(115) Høyædle og Velbaarne

Hrr. von Linné!

Endskiönt jeg vel veed at Deres Velbaarenheds mangfoldige og nyttige forretninger neppe give Dem Tid til at see noget i dette mit ufuldkomne værk, saa haver jeg dog ey villet mangle at tilsende ham det for at vise den høragtelse og ærbødighed, som jeg bærer for hans person, hvilken billigen al Europa ærer, og som jeg stedse skal giøre mig en ære og fornøyelse af at kalde mig

Høyædle og Velbaarne

Kiøbenhavn

hr. von Linné

d. 30 May 1769.

hans

ydmnye tienere

P. F. Suhm

A Monsieur Monsieur Charles von Linné, Chevalier et Professeur à Upsal

Hermed følger en Bog.

¹) Det bør erindres, at Falck, f. 1725, Prof. Bot. i St. Petersb., især bekjendt af sin store Reise i Rusland, med betydelige Evner og alvorlig Villie forbandt et tidlig udviklet mørkt og bistert Sind. »Gigt, Hovedpine og Hypochondri fortære mit Legeme og nedbøie min Aand, Sønnen flyer mig, under mit Arbeide gribes jeg af Krampe og Afmagt; men især fortvivler jeg ved den Tanke, at skulle skuffe Akademiets Tillid«: saaledes skrev han selv i Marts 1769 til sin Beskytter. Grev Orlow. Dødssyg og halv afsindig dræbte han sig selv i Kasan d. 31. Marts 1774.

(116) Høyædle og Velbaarne
Hr. Ridder von Linné!

Ey værkets indhold, og meget mindre lyst til at spille Deres Velbaarenheds kostbare Tid med lidet betydende Ting bringer mig til at fremsende et af mig paa nye udgivet skrift; men alene begiærlighed efter at vedligeholde det engang begyndte venskab imellem os. At jeg udi mine skrifter haver talet om Dem med tilbørlig ros, er noget som jeg ingen tak fortjener for, men beklager kun at jeg ey har kunnet giøre det saa vel, som jeg burde og vilde. Ved alle Leyligheder læser jeg med største fornøyelse Deres Velbaarenheds Skrifter, og lærer stedse noget nyt af dem. Beklager kun at det ey har været mig muligt at overkomme Deres Flora Lapponica; hvilket gjør mig saa dristig herom at bebyrde Dem selv; da jeg med største Fornøyelse skal betale hvad den koster, naar jeg kun kan nyde den lykke at den kan pryde min liden bogsamling.

Jeg forbliver altid med en sand og med den allerstørste høyagtelse

Høyædle og Velbaarne
Hr. Ridder von Linné

Kjøbenhavn
d. 11 Junii 1770.

Deres
ydmyge tienere
P. F. Suhm

A Monsieur Monsieur Linné Chevalier, Professeur et
Archiatre à Upsal

Hermed følger en forseiglet bog.

(117) Høy Velbaarne
hr. von Linné!

Jeg tager mig herved den frihed at oversende den tredie del af mit værk handlende om vore forfædres hedenske Religion; Tilligemed det første stykke af en nylig af mig begyndt samling, som er en fortsættelse af en ældre der har hørt op i nogle aar, og som jeg ei veed om Deres Vel-

baarenhed har seet eller læst. Skulde han ei have den, da skal jeg gjøre mig umag at bringe den til veye, endskjønt den er vanskelig at faae, da alle de første stykker ere afsolgte, og ey mere i bogladen, saa de alene forekomme paa auctioner. Der skal ellers intet mere fornøye mig end om Deres Velbaarenhed besidder en fuldkommen sundhed, og vil jeg ønske at den endnu i mange aar maae vedvare til den lærde verdens gavn. Skulde jeg engang faae i sinde at reise til Sverige, da skulde det fornemmelig være for at omgaaes med, og lære at kiende saa stor en mand. Jeg er altid med den største høyagtelse

Deres Velbaarenheds
ydmyge tiener

Khavn
d. 13 May 1771.

P. F. Suhm

P. S. jeg sender og hermed en nylig af mig udgivet afhandling om oeconomien.

